NEXUS
NATIONIS HUNGARAE
CUM
POLONICA.

EXPLICITUS

PER

EMERICUM HOLLÓK,

IN LYCEO EPPALI. ROŞNAVIENSI HISTORIARUM
PROF. AA. LL. ET PHIAE. DOCTOREM.

CASSOVIAE,
TYPIS CAROLI WERFER, ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

„Conjuncta est utriusque Gentis (Hungarae, et Polonicae) fortuna, et prospera omnia utriusque semper fuisse animadvertimus, nisi quom (quum) mala quaepiam ratio consilia, et res alterius ab altera separavit.“

Callimachi L. I. p. 293 *in Chron. de rebus a Wladislao Rege Pol. et Hung. gest.*

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

JOANNI BAPT. SCITOVSZKY,

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPO ROSNAVIENSI,

ABBATI

SS. Salvatoris de Kapornak, AA. LL. Philosophiae, nec non SS. Theologiae Doctori,

Praelato suo Gratiosissimo

in tesseram grati animi, ac profundissimae Venerationis documentum has pertenuis laboris sui primitias qua Moecenati suo munificentissimo

D. D. D.

Prooemium.

Nexus inter Nationes multis titulis acquisitos inde ab incunabulis Gentium semper adinstar personarum singularium exstitisse Historia, veritatis testis promit, docetque: hos eo magis procedente tempore exaltatos fuisse; quo ad majorem culturae gradum Natio quaepiam eluctari potuit. Sic embrio Roma per raptum Sabinarum sibi vicinam accersito intra moenia sua Tatio Rege Gentem primo copulavit; prolatis subin per Italiam armis, mox huic, tum trans mare eundo humiliatis Poenis ipsis Afris; ac demum remotissimis etiam Asiae populis dominari coepit, adeo, ut, dum sub Augusto Octaviano in summo gloriae apice staret, magna Illius potentia plane per missos Indiae Legatos adoraretur. En! Romanorum cum aliis populis genealogico-polemicus Nexus,

Ideas has ad Nationem nostram Hungaram transferendo ex me quaerere caepi: num Haec inde ab ingressu suo in Europam seu initis connubiis, seu sancitis foederibus, aut bellis gestis usque ad nostra tempora sibi talem, et praeferenter quali cum Natione procuraverit Nexum? desuper horis succisivis meditanti plura mihi talia Scriptores domestici non minus, ac extranei suppeditaverunt, quae maximum olim Nationi Nostrae cum vicina Polonica intercessisse nexum palam innuebant. E quibus combinatis praesens, quod Tibi Benevole Lector! compendiose propino, elucubrationum mearum volumen excrevit, ad quod redigendum, quae me motiva exstimulavere paucis edicam:

Inde a glorioso immortalis Mariae-Theresiae regimine usque ad nostram aetatem circa Jura S. Coronae Hungaricae in Galliciam, ac Lodomeriam diplomaticas institui concertationes audimus. Felicem me! si ad illas dillucidandas, in quantum ad historicum horisontem pertinet, tantillam luculam affudisse gloriando essem. — Adde oleum li-

chno, lucem praebebit eunti. — Accedit: quod tametsi tantus Nationem inter Hungaram, ac Polonicam per IX. et amplius saecula perduraverit nexus; quantus vix inter alias Europae Potentias etiam sedulo inquirentium obtutui sisti potest: nullum attamen e Scriptoribus, quod sciam, repererim, qui illum singulari opere enodandi fatigium sibimet imperasset. Sparsim hoc jam nonnullos praestitisse haud diffiteor, quorum laudabili opera me usum fuisse in his texendis palam glorior — morem sequebar apum flores historicos, quos mihi mea tenuis, ampliorque Ven. Capituli libraria supellex subministrarat, percursans adinventos succos in praesens alvear inferebam. Quem quidem nisum neminem puto vituperio dignum existimaturum, quum anteactorum relationes aliorum auctoritate muniendas esse perpenderit. Queis spectatis dextram jungo Lipsio apud Volf. Bethlen in Praefatione hunc in modum loquenti: „lapides, et ligna ab aliis accepimus; aedificii tamen exstructio, et forma erit nostra- neque aranearum tela, inquit idem, ideo est

melior, quia ex se fila gignunt, nec nostra vilior, quia ex aliis libamus, ut apes."

Talia haec esse, nullus dubito annues, quae intentionibus meis sanctionem dare poterant; lubens itaque me ad ea congerenda accinxi, tanto a fortiori, quod eadem ad satiandas Auditorum meorum indigentias multum collatura compererim; cum enim plures, a quo mihi Gratia Praesulea suggestum Historiarum conscendere licuit, ad Lyceum nostrum e vicina Gallicia juvenes convolasse viderim, ut hi quoque in Patriam reduces se quemdam ex Historia Pragm. R. H. fructum retulisse sentiant, obligationem quampiam mihi praesentem Nexum enodandi imposuerunt, in quo conspiciant: quibus in correlationibus ipsorum Antenati cum nostris Avis exstiterint, quos dum mutua se complexos charitate, uni Sceptro parendi promptitudine dudum jam eminuisse animadverterint; ipsi pariter viri futuri eorum laudabilia vestigia presse sequantur, et aliis pari aemulatione sequenda efficaciter proponant.

Verum et Patriae Filiis praelectionum mearum Auditoribus hanc elucubrationem meam

spero proficuam futuram; in ea siquidem Nationis Polonicae viva adumbratur imago, quam dum legerint e summo fastigio ad imum concidisse, documentum sibi sument: quatenus, ut jam olim Franc. Borgias Kéry in sua epitome Historiae Byzantinae expresserat, increscere in Republica morbi, et ni tempestive curentur, florentissimis etiam regnis interium adferre queant. Documento inquam, esse potest iis, quos impotens animi efert ambitio, ut dum regnum, quod ad immortalitatem natum videbatur, insanis ambitiosorum praesertim cupiditatibus, emortuum vident; et Herodoto monente, magnarum injuriarum Numine disponente magnas exstitisse punitiones intuentur, cupiditatem arctis adeo vitae lineis circumscripti, contrahant, nec praesenti rerum felicitati nimiopere fidant. Denique dum omnia orta occidere, bene olim fundata retro sensim relabi, et ruere vident, mente sublimius ab humanis elata, aeternitatem cogitent.

Haec fuit pertenuis mei laboris maxima, cui an satisfecerim? acerbiorem etiam crysim

subire paratus cum Scaligero ingemiscens." „Quaerant alii potiora, non enim ii sumus, quos pudeat, non omnia scire." Tuo Benevole Lector! judicio relinquo, qui, ut affectum meum aequi, bonique consulas oro. Dabam in Seminario Rosnaviensi ad S. Ladislaum die 28a Febr. 1831.

Auctor.

Conspectus
Rerum enerratarum.

Pag.

§. 1. Meritum operis 1

PERIODUS I.

„ 2. Prima Hungarorum cum Polonis notitia . —
„ 3. Sub Ducibus Hungarorum continuata; signanter sub Arpado 4
„ 4. Sub Zoltano 6
„ 5. Et sub ceteris Ducibus 7
„ 6. Nova de eadem Adelhaide opinio. . . 10

PERIODUS II.

„ 7. Uno pene tempore Regia dignitas apud Hungaros, et Polonos inducitur . . . 13
„ 8. Principes Arpadiani commorantur in Polonia; et vicissim Piastae in Hungaria . . 18
„ 9. Exul ad Thronum Hungariae revocatur Andreas 21
„ 10. Cujus Fratrem Belam ad Solium Hungariae pervenire juvant Poloni 23
„ 11. Idem Boleslaus R. P. auxiliatur Belae Filiis contra Salamonem 25
„ 12. Boleslaus II. R. Pol. exauctoratus humaniter excipitur in Hungaria 29
„ 13. Juris S. Coronae sub S. Ladislao in Russiam rubram acquisiti indicia 32
„ 14. Nova hinc per Colomannum suscepta in Russiam expeditio explicatur . . . 33
„ 15. Dissensiones Colomannum inter R. H. et Almum Ducem Boleslaus III. componere tentat 36

		Pag.
§. 16.	Terra Scepusiensis non est data cum Juditha Boleslai III. Filia Hungariae Regis Filio	38
„ 17.	Error hic e secundis Colomanni R. H. nuptiis tolli potest	42
„ 18.	Stephanus II. bellat cum Polonis . .	43
„ 19.	Boleslaus III. Pol. Rex causam Borichii tuendam suscipit	45
„ 20.	Geysa II. R. H. adstipulatur Minoslao Russo contra Polonos	47
„ 21.	Idem Geysa II. Gertrudem sororem Miecislao Poloniae Duci despondet . . .	49
„ 22.	Bela III. Rex H. acquirit jus in Galliciam, et Lodomeriam provincias	51
„ 23.	Fata Andreae in Gallicia . . .	54
„ 24.	Colomanus Andreae II. R. H. Filius Rex Galliciae constituitur	56
„ 25.	Audiantur desuper Scriptoret Poloni . .	59
„ 26.	Gallicia, et Lodomeria devenit ad Belam IV. R. H.	61
„ 27.	Qui provincias has tradit genero suo Ratislao jure clientelari tenendas . . .	63
„ 28.	Bela IV. Filias suas Poloniae Principibus elocat	66
„ 29.	Bela IV. tantis cum Polonis nexibus implicitus commune a Tartaris experitur malum. .	69
„ 30.	Redeamus ad Galliciam	70
„ 31.	Stephanus (V.) R. H. cum Polonis pangit foedus contra Bohemos	73
„ 32.	Dubia de Andrea praetensivo Ladislai Cumani Fratre in Poloniam profugo relatio . .	74
„ 33.	Certiora Andreae III. R. H. causa Polonorum facta	76
„ 34.	Conclusio praesentis Periodi . . .	77

PERIODUS III.

„ 35.	Utrumque Regnum in deligendo sibi Rege nutat	78
„ 36.	Carolus I. per duplex connubium regnum suum ad majorem cum Polonis ponit nexum .	79
„ 37.	Idem Carolus Casimirum III. in adipiscendo Poloniae Solio juvat	80
„ 38.	Carolus Visegradi excipit Lotkam fiduciarium Russiae Ducem	82
„ 39.	Casimirus III. R. Pol. Carolo gratus esse pergit	84
„ 40.	Ludovicus I. R. H. Casimiro avunculo suo fert auxilium	85
„ 41.	Idem Ludovicus tractat cum Polonis causa Russiae rubrae	86

		Pag.
§. 42.	Ludovicus I. R. H. Russiam rubram strictius regno Hungariae incorporat; et ex parte ad normam Hungaricam gubernat . . .	87
„ 43.	Ludovicus I. R. H. conscendit Thronum Regni Poloniae	90
„ 44.	Ludovicus, qua Rex Poloniae Galliciam, et Lodomeriam ab Hungaria avulsas non tradidit Regno Poloniae	92
„ 45.	Destinatio Ludovici I. R. H. circa Poloniam	95
„ 46.	Quam evertunt Reginae	96
„ 47.	Mortua Maria Poloni Sigismundo R. H. molestias causant	99
„ 48.	Ultro procedunt Poloni	101
„ 49.	Jure tamen suo Corona Hungariae in terras has non excidit	103
„ 50.	Sigismundus causa Cruciferorum Polonis gravis evadit	104
„ 51.	Inter Sigismundum, et Uladislaum pax stabilitur	106
„ 52.	Uladislaus R. P. venit in Ungariam . ..	108
„ 53.	Sigismundus R. H. oppida Scepusii oppignorat Polonis	110
„ 54.	Idem vult eadem redimere . . .	116
„ 55.	Uladislaus V. R. Poloniae in Regem Hungariae evocatur	118
„ 56.	Ast in indipiscendo Regno difficultates experitur	121
„ 57.	Coronatus Uladislaus I. factiones in Hungaria comprimit	124
„ 58.	Uladislaus I. ad Varnam coeditur . .	127
„ 59.	A puga Varnensi usque 1469 utriusque Nationis ad invicem correlatio . . .	131
„ 60.	Mathias I. R. H. cum Casimiro IV. R. P. bello implicatur	134
„ 61.	Irrita pace hostilitates continuantur .	139
„ 62.	Fata Indigenatus in Hungaria sub Mathia I. Polonis denegati	141
„ 63.	Mortuo Mathia I. R. H. eligitur Wladislaus II.	143
„ 64.	Otium Wladislai II. Frater Casimirus turbat.	146
„ 65.	Ejusdem Wladislai II. R. H. Frater Sigismundus R. P. Stephani Zápolya R. H. Palatini ducit Filiam	149
„ 66.	Idem Sigismundus I. R. P. turbatas Hungariae res pacare nititur	153
„ 67.	Joannes Zápolya R. H. victus fugit in Poloniam	155
„ 68.	Joánnes R. H. ducit Isabellam Sigismundi I. P. R. Filiam	159
„ 69.	Ejusdem Viduae Isabellae fata . . .	162

PERIODUS IV.

Pag.

„ 70. Sigismundus II. P. R. pro Joanne — Sigismundo Zápolya apud Reges Hungariae intermediatorem agit 167
„ 71. Stephanus Báthory in Regem Poloniae eligitur 169
„ 72. Ejusdem, qua Regis Poloniae merita . 171
„ 73. Influxus aliorum in Polonia post Báthoryum Regnantium in Hungariam . . . 173
„ 74. Scepusii Oppida S. Coronae Hung. restituuntur 175
„ 75. Maria-Theresia R. H. in primam divisionem Regni Poloniae influit 177
„ 76. Subsecuta secunda, et tertia Poloniae divisio 181
„ 77. Pauca de Bukovina 184

§. 1.

Meritum operis.

Nexum Nationis Hungarae cum vicina Polonica pragmatice proponere cupientibus haec commoda videbatur terenda via, ut primo inde ab ingressu Hungarorum in Europam usque Saec. X. consummatum — tum ab hinc usque XIII. occiduum — a. XIVi initio usque postrema Viduae Isabelae fata — abinde demum usque ad peractam Regni Poloniae divisionem mentem nostram extendamus. Quo adoptato ad normam Historiae R. Hungariae Pragmaticae totidem orientur nobis evolvendae Periodi. Quarum sit

PERIODUS I.

(Ab Anno 888—1000 inclusive.)

§. 2.

Prima Hungarorum cum Polonis notitia.

Hungaros e penetralibus Asiae in hodiernas sedes venisse Scriptores uno quasi fatentur ore; quamvis in deducendo eorundem itinere non omnes conveniant. Nos ne variarum opinionum fluctibus mergamur, hoc in passu Anonymi B. R. Notarii vestigia premenda suscipimus, cujus fidedignitatem per plures

quidem arietatam, non tamen eversam laeti conspicimus. Quo perhibente primus ille Hungaros inter, et Polonos mutuo foedere stabilitus nexus nobis innotescit. Superato n. p. longo itinere Hungari Rutheniam, seu Russiam rubram, cujus metropolis ad Boristhenem, seu Dnieper, (Anonymo Denep) erat Kiovia (Kyeu) asserente cl. Katona a) prius Polonici, ac nonnisi ab a. 1682 Russici juris facta, ad ictum destinarunt. Relata inibi victoria Cumanis aucti, multis item Ruthenis Almo Duci adhaerentibus caeptas vias versus Lodomeriam jam Poloniae provinciam continuarunt, quonam successu? praelaudati patrii Scriptoris verbis exprimemus: b) „Dux Lodomeriensis, „et sui Primates obviam Almo Duci usque ad confi-„nium Regni cum diversis pretiosis muneribus pro-„cesserunt, et civitatem Lodomeriam ultro ei appe-„ruerunt, et Dux Almus cum omnibus suis in eodem „loco per tres hebdomadas mansit; in tertia vero heb-„domada Dux Lodomeriensis duos suos, cum omni-„bus filiis jobagionum suorum Duci Almo in obsides „dedit, et insuper duo millia marcarum argenti, et „centum marcas auri cocti, cum pellibus, et palliis „non numeratis, et tercentos equos cum sellis, et „frenis, et XXV. camelos, (?) et mille boves ad onera „portanda, et alia munera non numerata tam duci, „quam suis Primatibus praesentavit. Et in quarta „hebdomada Dux Almus cum suis in Galicam (Gal-„liciam) venit, et ibi requiei locum sibi, et suis ele-„git. Hoc dum Galiciae Dux audivisset, obviam Al-

a) Hist. Crit. prim. Hung. Duc. p. 65. b) Anonym. Hist. de VII. primis Duc. edit. Cass. 1772. Cap. XI. p. 28.

„mo Duci cum omnibus suis nudis pedibus venit, et „diversa munera ad usum Almi Ducis praesentavit, „et aperta porta civitatis Galicae, quasi Dominum „suum proprium hospitio recepit, et unicum filium „suum cum ceteris filiis Primatum regni sui in obsi„dem dedit, et insuper decem farisios optimos, et „tercentos equos cum sellis, et frenis, et tria mil„lia argenti, et ducentas marcas auri, et vestes no„bilissimas tam Duci, quam omnibus etiam militibus „suis condonavit. Dum enim Dux Almus requiei lo„cum per mensem unum in Galicia habuisset, tunc „Dux Galiciae, ceterique consocii sui, quorum filii „in obsides positi erant, sic Almum Ducem, et suos „nobiles orare caeperunt: ut ultro Hovoos versus „occidentem in terram Panoniae descenderent. Di„cebant enim eis sic: quod terra illa nimis bona es„set, et ibi confluerent nobilissimi fontes, quorum „nomina haec essent — — Danubius, Tyscia, Wag, „Morisius, Crisius, Temus, etc. Quae etiam primo „fuisset terra Atillae Regis, et mortuo illo praeoccu„passent Romani Principes terram Pannoniae, usque „ad Danubium vero collocavissent Pastores suos. „Terram vero, quae jacet inter Thisciam, et Danu„bium praeoccupavisset sibi Reanus Dux Bulgariae, „Avus Salani Ducis usque ad confinium Ruthenorum, „et Polonorum, et fecisset ibi habitare Sclavos, et „Bulgaros. Terram vero, quae est inter Thysciam, „et sylvam Igfon, quae jacet ad Erdeuelu a fluvio „Morus usque ad fluvium Zomus praeoccupavisset sibi „dux Morout, cujus nepos dictus est ab Hungaris „Menumorout, eo, quod plures habebat amicas, et ter„ram illam habitarent gentes Kozar, qui dicuntur.

„Terram vero, quae est a fluvio Morus usque ad „castrum Urscia praeoccupavisset quidam dux nomine „Gaad de Bundyn castro egressus adjutorio Cumano- „rum, ex cujus progenie Ohtum fuit natus. — Al- „mus de his certior redditus, prosequitur idem, pa- „cem firmissimam cum eis fecit. Duces etiam Ru- „thenorum, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios „suos in obsides dederunt cum muneribus non nume- „ratis. Tunc Dux Galiciae duo millia sagittariorum, „et tria millia rusticorum anteire praecepit, qui eis „per sylvam Houos viam praepararent usque ad con- „finium Hungariae, et omnia jumenta eorum victua- „libus, et aliis necessariis oneravit, et pecudes ad „victum condonavit sine numero.“ Hactenus Anonymus — e quibus tametsi antesignano Cl. Katona a) nolimus jurare in verba Magistri; satis attamen patescit: prima lineamenta juris, quod Regibus Ap. Hungariae in Haliciam, Lodomeriamque competit, a voluntaria etiam Principum se, suasque provincias in clientelam Almi Ducis tradentium subjectione haud violente repeti posse.

§. 3.

Sub Ducibus Hungarorum continuata; signanter sub a) Arpado.

Superatis Alpibus Hungari in plura agmina divisi hodierni Regni fines subiere; Almus Dux in Ungi fluminis ripa prope castrum consedit, b) quo tandem occupato, diis immortalibus Scythico more quatriduum gratias retulit. Interim viribus fractus cum mor-

---

a) In Exam. Moráviae p. 77. — b) Anon. C. XI.

tem prope sibi imminentem persentisceret, vi pactorum adhuc in Asia sancitorum haereditarium Familiae suae Ducatum in Arpadum Filium 889 transtulit; quo tempore Magyarorum, Cumanorum, atque Russorum (Polonorum) Primores renovatis prioribus votis solenni ritu Arpado Duci omnes fidelitatis sacramentum nuncuparunt, longaevam vitam, omnigenamque prosperitatem Eidem clypeis in altum sublato precantes. Occasione hac Arpadus Russis, quorum consilio, ac opera nova haec expeditio tam feliciter successerat, gratiam facturus, eosdemque perpetuo foedere sibi copulaturus, cujusdam e vicinis Russiae Ducibus Filiam conjugem accepit. Haec praeeunte Cl. Pálma a) confidenter asserimus; multum tamen dolemus, quod nomen Ejusdem Sponsae spissa antiquitatis caligo tegat. Propinat ecquidem e recentioribus Cl. Paulus Nagy b) quamdam Russam, sed peraeque late patentem Anonymam Galliciae Ducis Filiam; quod posterius assertum limam historicam sustinere potest per id, quod eotum Arpado (prout et nunc nobis) vicini, et foedere juncti Galliciani (Russi) exstiterint. Gratissimam rem nobis hoc in merito praestando fuisset Constantinus Porph., qui in opere suo ad impium filium exarato c) Arpadi filios nominavit quidem; horum tamen Genitricem memorare intermisit. E connubio hoc, nulli dubitamus, posteritas clare videt: Magyaros cum conterminis sibi Russis aetate jam hac eam intimam coluisse amicitiam, quam subseque Eorumdem Duces,

a) Not. rer. Hung. Ed. III. T. I. p. 13. — b) Hist. Prag. R. II. Ed. II. T. I. p. 89. — c) De adm. Imp. C. XL.

subin Reges acceptis non raro e Russia conjugibus, filiabusque suis vicissim eo in matrimonium collocatis renovare, constantemque reddere studuerunt. Ortum taliter duas inter Nationes genealogicum nexum Lectoribus, suis locis indicare pro posse, contendemus.

§. 4.

b) Sub Zoltano.

Zoltanus e conjuge Russa, ut praemisimus, genitus Arpado Patri 907 decedenti in Principatus honore apud Hungaros successit. Maturam ad agendum nactus aetatem Regni limites per duumviros (esto differenter) expressos a) definivit. Quod aevo hoc ad institutum nostrum pertinere dignoscimus, est: Hungariam tunc a Septemtrione fluvio Morava, longaque Carpaticorum montium catena terminatam fuisse. Unde haec non vana formari potest conjectura: quum fines Regni nostri nec dum trans Carpathum pro tunc excurrisse legamus, pacem illam cum Ducibus Galliciae olim firmatam, accedente nexu quoque sanguinis inviolatam adusque perstitisse. In cujus nexu patrii Scriptores referunt b) de Zoltano: quod novam Russorum coloniam (probabiliter voluntati uxoris per id litaturus) ad Mosoniensem agrum deduxerit, fines Regni contra Germanorum irruptiones tuituram, quibus praefecisse perhibetur c) eos Russos, qui cum Almo Duce in Pannoniam venerunt. Hos posteriores indigenae Hungari ad novorum hospitum distinctionem Ó-Ruszok, unde Oroszok, i. e. antiquos Rus-

a) Cons. Katona Hist. Duc. p. 334 et sequ. — b) Pálma T. I. p. 26. — c) Anon. C. LVII.

sos appellarunt; atque idcirco castro illi, quod ab his erectum memoratur Ó-Roszvár Hungaris, Germanis autem Carlburg dictum nomen adhaesit. Nomenclationem hanc hic Russis inditam ad avitas etiam Hungarorum sedes penetrare potuisse, quamvis canalem ignoremus, facile concedimus, posteaquam Joannes Orlay Academiae Odessanae magnae memoriae Director (e C. Bereg. oriundus) ad oras Caucasi moratus Russos per ejates actu nomine Orosz vocari se audivisse fateatur. a)

§. 5.

c) Et ceteris Ducibus.

In diebus suis indubie procedens Zoltanus Ducatus sui insignia an. 947 in filium Toxum consentiente Natione transtulit; sub quo Hungaros inter, et Polonos aliquid memoria dignum intervenisse scriptores non promunt, e quorum silentio ad antiquum repetitis jam pactis firmatum, actuque conservatum mutuum nexum arguimus, qui sub Toxi filio Geysa 972 Patri suffecto majora cepit incrementa per id, quod Scriptores Poloni, nominatim Cromerus, b) Joannes Dlugossus, et Bernardus Vapovius Canonici Cracovienses eidem Geysae alteram consortem Adelhaidem Micislai Poloniae Principis, germanam assignent, priusquam Is jam Filiam suam Juditham Boleslao ejusdem Micislai Filio elocasset. Utrumque hoc connubium Cl. Katona c) vel inde maxime velicante, quod cum relatione domesticorum Scriptorum minus con-

a) Felsö M. Orsz. Minerva 1825. 2 K. 103 Lap. — b) Hist. Pol. L. 3. C. 2. obiit, qua designatus Varmiensis Ep. 1548. — c) Hist. Crit. Duc. p. 603 et 684.

veniat; nos in lite hac dirimenda Cl. Pray deligimus arbitrum, a) quo duce statuimus: primam Geysae uxorem fuisse Saroltam, e qua, ut Hanzizius verosimiliter evincit, 983 S. Stephanus natus est; hac probabiliter 986 defuncta praeattactam Polonam secundo sibi copulavit matrimonio. Quod ipsum Scriptores synchroni praetendunt; sic Ditmarus Geysae conjugem Belekneginam fuisse notat, quo nomine cum pulchram Dominam Schlavis designari ipse Auctor tradat, verisimile est: hanc Schlavici generis, facile Polonicae originis fuisse. Tanto autem confidentius hoc asserimus, quod Scriptores Polonos hoc ipsum nobiscum sentire videamus; plurium loco in testem vocamus Cromerum, b) qui de Boleslao agens hunc in modum loquitur: „adulto dein Pater vivens adhuc uxorem accepit Juditam Jessae (Geysae) Ungarorum Principis affinis sui filiam ex priore uxore susceptam" atque Hanc per Geysam fuisse relictam Viduam Stiltingus c) e bello, quod postea cum Duce Sümegiensi obortum est, elicit: „Scriptores Hungari, inquit, unanimi voce affirmant, Viduam Geysae expetitam ad nuptias esse a Cupa Duce Sümegiensi, qui illis nuptiis conabatur Ducatum Stephano eripere. Quippe Geysa senex obiit, d) ita, ut prima ejus uxor, si vixisset, verisimiliter etiam provectioris fuisset aetatis, quam ut ad nuptias honeste expeti posset; neque enim verisimile est, Geysam fuisse provectae aetatis, dum primam duxit uxorem. Ex praedicta rursus ratione verisimile non est, Viduam

---

a) Annal. P. III. L. II. p. 385. — b) lo. cit. — c) In comment. praevio ad vitam S. Stepha. §. 12. N. 125. — d) Chartuitius in vita S. Steph. C. I. N. 6. —

Geysae Matrem fuisse S. Stephani; nam Cupa non ambivisset Matris nuptias, ut ejus ope Filium deturbaret, quod sperare vix poterat; verum spe verisimili nitebatur Cupa, si Vidua Geysae erat noverca Stephani. Nam quandoquidem anno 996 Ipsa, teste vita S. Adalberti — — totum regnum Viri manu tenuit, et quae erant Viri, ipsa regebat, tanta erat Ejus auctoritas, ut sperare posset Cupa cum nuptiis hujus Viduae regnum ad se devolvendum. Verum, ut jam vidimus, non videtur consensum ejus sperare potuisse, si Mater erat Principis regnaturi, aut nimiae aetatis, nam utrumque eandem stimulasset, ut regnaret potius pro Filio, quam sub marito." Ita pro fide Poloniae Scriptoribus concilianda pugnat memoratus Stiltingus, cui manus dare videtur Joannes Turóczy taliter scribens: a) „Mortuo autem Geycha Duce, Cupa voluit Matrem S. Regis sibi per incestuosum copulare connubium, et S. Stephanum occidere" per matrem hic non sine probabilitate intellexit Chronista novercam, quam nonnisi potuit prudenter sperare in praemeditatam Stephani necem consensuram. Quae omnia prae oculis habens Cl. Fessler chronologice conjectat: b) Sarolta 984 denata Geysam post evolutos duos annos ad secundas cum Adelhaite Polona convolasse nuptias. Queis dum nos tuto subscribimus, Polonorum verba: „hac duce caeptam Christianitatem in Hungaria" scribentium ita sumimus, ut eadem duce Christianitatem consilio, atque auctoritate Ejus, quae u. p. omnia Viri manu tenebat,

---

a) Chron. P. II. C. XXVIII. — b) Die Geschichte der Ungarn. T. I. L. p. 359.

propagatam dumtaxat innuant; cum Religionem Christianam in Hungaria caeptam duce Sarolta prima Geysae uxore (Filia Gyulae) patriis documentis fidem historicam vindicantibus persvasi pro comperto teneamus. Haec de Adelhaite altera Geysae consorte prolata sufficiant quoad recentiora desuper proferamus; restat, ut de Juditha ejusdem Filia Miesconis Filio Boleslao desponsata tantillum delibemus.

De hac in Scriptoribus domesticis nullum vestigium deprehendimus; quam tamen Polonici et nominant, et Boleslao Duci suo collocatam affirmant. a) Jam secundum tritam Critices regulam: b) Si testes requisitis dotibus instructi factum quodpiam referant, id pro vero habendum est, etsi alii aeque requisitis dotibus instructi de eo taceant. ,,Quia vero loquente Cromero: Boleslaus 967 in lucem editus est, cui jam adulto i. e. ad matrimonium idoneo Juditha desponsata esse perhibetur; id non prius, quam a. 987, vel altero e subsequis evenisse conjicere audemus, tanto citius, quod in hoc circiter tempus status viduitatis Geysae (ut innuimus) incidat, quam tamen postea repudiatam post Cl. Pálma candide fatemur. A calculo chronologico initi Matrimonii per nos deducto non multum abludit Cl. Fessler 989 annum statuens. c)

§. 6.

Nova de eadem Adelhaide opinio.

Antequam allata superius de Adelhaide Polona in rem conclusam abeant, censuimus e re futurum,

a) Cromerus lo. sup. cit. — b) Glycerii Spányik Ed. III. T. I. p. 12. — c) loco cit. in nota.

ut et Cl. Pálma a) desuper disserentem audiamus. Hic nimirum, ut aliquid Polonis tribuat, verosimile esse ait: Adelhaidem Hungarorum Duci ecquidem, non tamen Geysae; ast hujus germano Michaeli in manus convenisse, atque ex hac prognatum fuisse Ladislaum Calvum, et Basilium (Vazul) praetendit. Quo stante quaerere desinemus amplius: eccur Andreas, Bela, et Leventa duces Ladislai calvi filii exortam in caput suum sub exitum vitae S. Proto-Regis tempestatem evitaturi apud Poloniae Ducem asylum quaesierint? Jam si conjecturis in Historiis uti expediret; haec profecto ad delineanda Nexus Nationem inter Hungaram, ac Polonicam intercedentis lineamenta plurimum nobis collatura videretur; ex hoc enim Hungaris auspicato, et Polonis perhonorifico cunnubio longa serie deducendo essemus Stirpis Arpadianae usque ultimum ejusdem surculum, Andream III. Hungariae Reges hunc in modum:

Miecislaus Poloniae Dux, et soror Ejus Adelhaid
Conjux
Geysae Ducis Hungarorum Fratris Michaelis.
Hinc nati:
Ladislaus Calvus et Basilius.
Hujus:
Andreas — Bela — atque Leventa Filii

Salamon. — Geysa — Ladislaus — Lampertus.
Colomannus etc.
Andreas III.

a) Not. Hist. R. H. p. 41. T. I.

Interim in re tam remota patrios nolumus sub incudem ponere Livios; nobis et per id Hungaros inter, et Polonos enodando nexui tantillam lucullam affulsisse sufficiat, clariora nos in sequentibus daturos nobis blandimur.

PERIODUS II.
(Ab Anno 1000—1300.)
§. 7.
Uno pene tempore Regia dignitas apud Hungaros, et Polonos inducitur.

Agmen Ducum Hungariae clauserat Geysa 997 tumulo illatus, cujus Filius Vaik prius, tardius Stephanus nuncupatus tradente Chartuitio: a) „quarto post Patris obitum anno Divina commonente Clementia — Astricum Praesulem ad limina SS. Apostolorum misit“ inter cetera Pontificem oraturum: ut „Regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore caepta per Dei gratiam posset solidius stabilire“ b) Priusquam autem ex Hungaria missus Romam Legatus eo apullisset; eadem de causa Poloniae quoque Oratores ibidem fuisse Idem Biographus sic refert: c) eodem forte tempore Mischa (Miecislaus) Polonorum Dux Christianam amplexus Fidem cum suis, missis ad Romanae Sedis Antistitem Nunciis, Apostolica fulciri benedictione, ac Regis postulaverat diademate redimiri. Hic luxa-

---

a) In vita S. Steph. C. 11. §. 10. — b) Idem edit. Prag. p. 131. — c) idem l. cit.

tam Chartuitii, et aliorum hunc sequentium chronologiam emendandam suscipimus, cum eo tempore, quo legatio Romam utrinque discesserat, non jam Miesco, verum Filius ejus Boleslaus rerum potiebatur. Scriptores tamen hos labi facile potuisse concedimus; cum enim Sylvester in literis nomen Ducis Poloniae non expresserit, error Chartuitio obrepsit, ut Mischam, quem alii Miseconem, item Miecislaum, aut Miesconem dicunt, scriberet, in quem errorem Bonfinium quoque a) et aliquot praeterea Polonos Scriptores pertraxit. Verum quidem est laudem conversionis ad Christianismum apud Polonos tribui Miecislao e Stirpe Piastica ultimo Duci; sed hunc occasione expeditae hujus ad R. Pontificem legationis fatis functum, Boleslaum autem ejus Filium Stephano coaevum fuisse liquet et ex Auctore Vitae Adalberti M. et Ditmaro b) haec scribente: „Anno autem Dominicae Incarnationis 992 — — praefatus Dux Miseco — ab hoc exilio ad Patriam coelestem transivit, relinquens regnum suum plurimis dividendum, quod postea Boleslaus — — vulpina calliditate contraxit in unum.“ Interim non sumus difficiles in dando annutu: Micislaum quoque a Benedicto VII. Coronam petiisse, quam petitionem deinceps Boleslaus renovavit, cui quod Micislao Benedictus negavit, Sylvester dare decrevit. Aliter tamen Deo omnia gubernanti placuisse narrat toties fatus Chartuitius: c) „praefixa nimirum die, qua parata corona praedicto Polonorum Duci jam mittenda

a) Bonf. Dec. II. L. I. p. 136. — b) Ditm. Ep. Merseb. L. 4. — c) Stylo mut. per Surium p. 272.

fuerat, nocte, quae praecedebat, Papae per visum Domini nuncius adstitit, cui et dixit: crastina die, prima diei hora ignotae gentis nuncios ad Te venturos esse cognoveris, qui suo Duci Coronam a Te Regiam, cum benedictionis Apostolicae munere flagitabunt. Coronam ergo, quam praeparari fecisti, eorum duci, prout petierint, cures sine contradictione largiri, sibi enim eam cum Regni gloria pro vitae suae meritis scito deberi.“ Praedictionem hanc eventus comprobavit. „Auditis itaque Romanus Pontifex Legatis, concludit idem Biographus, gavisus valde, cuncta, prout fuerant postulata, benigne concessit.“ Factum hoc Historici etiam Poloni admittunt, fatenrurque Coronam a Duce Polonorum petitam a Summo Pontifice negatam fuisse. Hic consensus utriusque Nationis in eandem rem dubium omne de Historiae veritate tollit. Martinus Gallus Polonus Saec. XII. Scriptor hac de re sic disserit:“ a) Mieszko Dux Poloniae primus Christianus effectus ad Dominum Papam Leonem (?) solennes Nuncios misit, et ab eo Regni Poloniae coronam sibi dari humiliter postulavit. Quumque Summus Pontifex suae petitioni benignum assensum praeberet, et corona miro opere fabricata esset; ecce! ex Ungaria eodem tempore veniunt Romam nuncii missi, petentes Dominum suum Stephanum regio diademate insigniri. Quumque in crastino Legatis Poloniae dari corona debuisset; ecce! eadem nocte Leoni Papae per visum Angelus Domini apparuit, et Duci Stephano eam dari praecepit. Quare autem Duci Poloniae eam dare non

---

a) Chronica M. Galli (1109) Gedani 1749 p. 76.

praecepit; in Chronicis Polonorum insinuantur haec per Angelum mala: haec inquit gens magis diligit calumniam, quam justitiam, sylvarum densitudinem, et ferarum venationem, quam camporum planiciem, et frugum ubertatem, magis diligit canes, quam homines, plus pauperum oppressiones, quam Divinas leges. Et cetera, quae ibi leguntur.“ Adusque fatur Martinus, quem in multis cum Chartuitio cohaerere videmus; grandem tamen per illum hic admissam chronotaxim silentio praeterire nequimus. Et quidem primo perperam appellat eotum Mieszkonem Poloniae Ducem, ut jam superius attigimus; sed multo irremissibilius crimen (Anachronismum) admisit secundo inquiens: existente apud Hungaros Stephano in sede Apostolica Leonem sedisse. Novimus adusque quoad haec scribimus, hujus nominis Pontifices numero XII. exstitisse, e quibus in epocham hanc VIII. circiter cadere deberet, qui tamen qua subreptitius 965 mense Aprili decessit, a) quum Stephanum Hungarorum Dominum nedum lucem conspexisse scimus. Naufragium taliter in accidentalibus passum contribulem suum liberare nititur longe remotior Dlugossus hunc in modum allegans: b) „habet autem nonnullorum assertio, quod Summus Pontifex non Angelica visione permotus, sed ex certitudine, qua doctus erat Miecislaum Poloniae Ducem obiisse, Coronam illi non dederit, quod et ego in Polonorum aliquibus Annalibus memini me legisse; sed apparitionem Angelicam ab Hungaris, quo Co-

a) Chronol. Reihenfolge der röm. Päpste. Würzburg 1828. — b) L. II. rer. Pol. p. 21. † 1480 Cracoviens. Can.

ronae missio eis a Benedicto Papa facta foret celebrior, confictam, et somniatam esse, quam etiam in hanc diem parum justa appellatione Sanctam vocant, cum nullum metallum potest in se includere sanctitatem, nisi usurpatam, vel ementitam. „Dicacitatem Viri hujus Canonici jam satis mirabatur Cl. Pray, nec hominem Hungaris perinfensum refutare oporae pretium esse existimavit; alioquin ipsum statuentem: per Benedictum (?) Stephano coronam missam fuisse, in Scyllam incidisse, quisquis videt. Nos dum multum dolemus domesticos illos fastos, e quibus repudiata Angelica visione genuina missae Coronae causa innotescere potuisset, tineis nefors per illum relictos fuisse; opponimus Eidem orthodoxo Cl. Fessler Virum non facile credulum de eodem objecto ita scribentem: a) de cujus (visionis) realitate nullus hominum per plura saecula, quoad Dei, et Romani Pontificis auctoritas inconcussa stetit, dubium movit." Dum animadversiones has in praememoratos Scriptores ponimus salva manente enarrati eventus essentia ad scopum nostrum satis eosdem contulisse per id gratulamur, quod Coronam Poloniae Duci effective destinatam Stephano Româ missam fuisse concordes asseverent, qua Eundem paulo a. 1000. Strigonii per A. Eppum loci in Regem Hungariae solenniter coronatum esse notum ipsis etiam Historiae Pragm. R. H. tyronibus supponimus. Dum haec agerentur in Hungaria, eodem pene tempore Otto III. R. Imperator humanitate Boleslai Chrobry, quam Ei in peregrinatione Gniesnam ad sepulcrum

a) Geschichte etc. T. I. L. II. p. 374.

Divi Adalberti suscepta exhibuerat, delinitus Regem Poloniae Eundem creavit, a tributo, et omni jurisdictione Imperii immunem pronunciavit, qui pro tali a S. Gaudentio primo Gnesnensi A. Eppo Sacris publice operante inter fausta populi confluentis vota redimitus est. a)

§. 8.

Principes Arpadiani commorantur in Polonia; et vicissim Piastae in Hungaria.

Magna necessitudine conjunctum vixisse cum Polonis Hungariae Proto-Regem indicium faciunt Annales Hildesheimienses, in quibus ad an. 1031 haec leguntur: „Henricus (Emericus) Stephani Regis Filius Dux Ruizorum (Russorum) in venatione ab apro discissus periit flebiliter" Profecto arguit ex hinc Cl. Cornides, b) inscite admodum nugaretur, qui haec ad hodiernum Moscoviticum Imperium traheret, aliamque hic Russiam comminisceretur, quam eam, quae Hungariae, Transylvaniaeque contermina est. De fide Annalium horum hic prolixius disputare minus vacat; Emericum naturali morte Patri praereptum obiisse vindicarunt alii. c) Hunc Russorum Ducem compellatum fuisse, in dubium vocavit, sed nequaquam refutavit Prayus. d) Nos, qui nexum Nationem Hungaram inter, ac Polonicam enodare intendimus, et hunc locum sub trutinam vocatae per nos causae opitulaturum eo lubentius amplectimur, quod

---

a) Cromerus Hist. Pol. L. 3. — b) Vindiciae Anon. p. 287. — c) Turócz P. 2. c. 27. Biograph. S. Emerici edit. Pray Pos. 1774. — d) Annal. R. H. L. I. p. 39.

testimonium positivum aliorum silentio haud enervari e Critica noscamus.

Magnae porro Nationis Hungarae in gentem Polonicam adhaesionis editum specimen in Ladislai Calvi Filiorum in Poloniam fuga conspicimus, in qua adumbranda nonnihil diutius immorabimur eo consilio, ut suffragantibus diversorum Scriptorum testimoniis Andreae, atque Belae Ducum, tardius Regum famam pro viribus tueremur. Inclinante v. l. Divi Stephani in Basilium successorem suum nominandum animo, soror Ejusdem Gysela ruptis sanguinis vinculis in hujus, aliorumque cognatorum excidium Petro Filio suo profutura acheronta movit, imo tempestatem in caput Regis Fratris sui impotens mulier excitavit; a) qua detecta lecto affixus Rex periclitantibus suis cognatis, ut vitae, membrorumque integritatem servarent, b) repentinum iisdem ex Hungaria svasit discessum. Morem gessere Principes. Unde ad Poloniam abierunt. Praeerat tempestate hac Polonis Miecislaus Boleslai nexum, ut deduximus cum Principibus Hungariae habentis filius, cujus regiminis primordia satis felicia, quo demum in desidiam, et voluptates merso res bellica admodum perplexa evasit. Quare Principum adventus Miescislao bellum in Pomeranos, qui constituto secessionis Duce tunc a Polonis desciverant, meditanti plane peroportunus erat. Bello huic interfuerunt extorres Hungari, fusus jam est utrinque magnus sanguis; hinc visum est, ut utriusque gentis Duces singulari certamine litem dirimerent. Ast cum Mesco, ac

a) Chartuitius p. 158. — b) Chron. C. XXXIII.

Filii ejus singulare certamen reformidarent, Bela heroico pectore in medium prosiliens: „Si vobis, inquit, Poloni! placet, ut pro Principatu, ac dignitate vestra in arenam ipse descendam, quamvis me pagano, profanoque hoste nobiliorem reputo, hoc tamen ultro pro vobis subibo periculum" resolutus ille Hungaro dignus animus ab utraque parte applausum tulit. Id circo consertis hastis Bela Pomeranum equo deturbat, quem mox gladio confossum humi prostravit. Hoc conspicantes Pomerani annua Polonis se pensuros vectigalia pollicentur. a) Talia nostris referentibus consentit, et Cromerus b) eo observato: quod victoriam Belae post obitum Stephani ad annum 1034 ponat, quem tamen serius post 4 nonnisi annos in Domino obdormivisse pro evicto habetur.

Belam tanto facinore illustrem condigne remuneraturus Miecislaus, aut rectius Rixa ejusdem 1034 denati Vidua, quae et vivo adhuc marito, et demortuo summa cum potestate Polonis aliquamdiu pro Filio Casimiro I. imperavit, Filiam suam Richsam, aliis Richesam ei thalami sociam dedit, (e qua Dux Bela in Polonia adhuc suscepit Geysam, et Ladislaum; (S.) in Hungaria autem Lambertum, et alias Filias) eique dotis nomine et multas ditiones, et censum a Pomeranis annue solvi solitum assignavit. c) Interim Rixa regnum administrans successive ob factas diversas exactiones, manifestatumque Polonorum contemptum Nationi gravis esse perexit. Talia quum

a) Bonfinius Dec. II. L. II. p. 151. — b) De reb. Pol. L. III. — c) Joann. de Kükölö apud Schvandtner T. I. p. 103.

indigne ferrent Poloni, neque precibus quidquam proficerent, obtrectare primum, tum ad vim progressi tumultus ciere nil sibi pensi duxerunt. Regina, ne gravius malum experiri cogatur, convasatis thesauris Magdeburgum evasit paulo Monialium velum assumtura. Casimirum autem in caenobio Cluniacensi Familiae religiosae insertum tranquille vixisse post Martinum Gallum docet Fesslerus; a) quem dein Poloni post diram 7 annorum anarchiam a Benedicto IX. R. P. voto solutum e cella ad capessendum Thronum evocarunt. Prayus demum Eundem vivente adhuc S. Stephano e regno profugum in Hungaria aliquamdiu delituisse, donec opera Petri in amissum Solium reponeretur, post Scriptores Polonos notavit. b) (?)

§. 9.

Exul ad Thronum Hungariae revocatur Andreas.

E tribus * Ladislai Calvi Filiis Belam Casimiri I Poloniae Regis affinem factum, censu Pomeranico provisum perprius enarravimus; quae fata alios manserint, verbis Thuróczy c) hic dillucidatum imus: „displicuit autem Endrae, et Leventae, quod per Belam apud Ducem Poloniae quasi appendices degerent; dedignatique sunt occasione sui nominis in Ducis curia permanere, et accepta a Duce licentia, Bela Fratre suo ibidem relicto euntes iverunt ad Lodomeriae Regem, (Ducem) qui ipsos non recepit. Quumque non haberent, ubi caput suum reclinarent, abinde

a) L. II. T. I. p. 412. — b) Annal. R. H. L. I. p. 41. — c) P. II. C. XXXIX. — * Quidam Leventum cum alterutro unum esse censent.

ad Cumanos perexerunt. Videntes autem ipsos Cumani optime personatos, arbitrati sunt, quod eorum terram advenissent explorare. Et nisi captivus Hungarus illos cognovisset, revera occidissent, et sic postmodum aliquo tempore ipsos tenuerunt. Ab hinc postea in Rusciam sunt profecti.“ Hoc ipsum et alii domestici Scriptores tenent. a) Hic eos cum plures alii ex Hungariae Dynastis submisso clam subsidio exules aluere, tum vero, quam liberalissime quidam Viska nomine, Bua, item et Bukna, qui Petro in regno postea saeviente plurimum fatigii impenderunt, ut Andreas Dux ad avitum regnum revocaretur. Et revera tyrannide Petri intollerabili prorsus evadente celebrato Csanadini conventu Andreas post exactum in Roxonia decennium in Patriam reducitur, ac Albae Regiae in Regem 1046 inauguratur. Foris commoratus adhuc Andreas duxit uxorem Filiam Ducis Ruthenorum, b) de qua genuit Salamonem, et David. c) Hanc non alicujus Russiae M. seu hodierni Moscovitici Imperii, sed Russiae minoris in Polonia Principis filiam fuisse ex Anonymo B. R. Not. conficimus: d) „ubi Andreas Rex terram Retelpotoka versus Poloniam excurrentem cum posteris Retel gratia uxoris cambiavit, quae diligebat partes illas habitare eo, quod propius ad natale solum esset.“ Quam Dlugossus Anastasiam vocat; Cl. vero Cornides e) erudite probat eam fuisse Jaroslavi Wladimerovichii Filiam, quam Bonfinius f) loco Thuróczy-

a) Simon de Kéza C. III. p. 88. — b) Nestor ad a. 1036 — 1055. — c) Chron. P. II. C. XLII. — d) De 7 Duc. C. XV. — e) Geneal. R. H. p. 181. — f) Dec. II. L. II. p. 155.

ano delusus: „In claustro Agmund Matre, et uxore derelictis etc.“ perperam claustri nomen ad Matrem referendo Agmundam vocavit. Nobis hic in solo nomine detegendo diutius immorari otiosum videretur, contenti sumus: Matrimonio hoc novum nexum cum vicinis Russis, Roxolanis, sequaciter cum Polonis per Nationem Hungaram contractum indicasse, quem adhuc magis evolvere properemus in sequentibus.

§. 10.

Cujus Fratrem Belam ad Solium Hungariae pervenire juvant Poloni.

Andreas necdum nato Salamone Filio Belam Fratrem apud Polonos agentem sequentibus in Hungariam provocavit: a) „Nos, qui quondam penuriae participes fuimus, et laborum, rogamus Te dilectissime Frater! ut ad nos non tardes venire, quatenus consortes simus gaudiorum, et bonis regni, corporali praesentia gaudentes, communicemus. Neque haeredem enim habeo, nec germanum praeter Te. Tu sis mihi haeres, tu in regnum succedas.“ Nihil poterat Belae hac Fratris voluntate gratius accidere, qui seu quod Pomeranorum moribus consvescere non posset, seu Aula Polonorum illustrium exulum jam plena esset, salutato affine convasatis pretiosis cum omni sua familia in Hungariam comparuit, in quem Rex Ducis titulo cohonestatum tertiam Regni partem transtulit, cujus praeclara militari virtute deinceps ad-

a) Chron. P. II. C. XLII.

versus Henricum III. Imp. usus est. Ast raram (esto charam) esse concordiam Fratrum cum summa Reipublicae jactura hic verificatum esse adaperire cogimur. Nato etenim Filiolo Salamoni Andreas alterata mente curat apponi coronam. Id aegre ferentem Belam concitabant quidam in turbido piscari amantes Proceres regni ita, ut primo simultates, odia, tum elusis ad Várkun Belae vitae structis insidiis apertum inter Fratres enasceretur bellum. a) Bela namque quanto in periculo versaretur conspiciens cum liberis, et conjuge in Poloniam, non ad Socerum, ut Thuróczyus confuse scribit, u. p. jam dudum defunctum; verum ad Boleslaum Casimiri Filium secessit, cui injurias a Fratre acceptas cum candore exponit, atque datis auxiliis habendo vel maxime rationem nepotum, ut sibi opitularetur, impensius orat; addit commodorum accessionem, si vota successerint, nam si vires utriusque Gentis, ajebat, concentratae fuerint, facile fore, ut non modo se tueantur; sed etiam amplificatis finibus aliena regna occupare confidant. Boleslaus his motus opem suam propinquis largus addixit. Confluxerat ad haec major in dies Hungarorum Belae partes palam contra Andream sectantium in Poloniam numerus, missiquoque a Proceribus clam legati, qui ad vindicandam sibi Regni coronam Belam permoverent. De his certior factus Andreas Henrici IV. cujus sororem Sophiam (nonnullis Juditham) Salamoni imberbi desponsarat, patrocinium implorat. Hujus partes defensuri veniunt in Hungariam auxiliares Germani. —

a) Bonfin. Dec. II. L. 2. p. 158.

Nec segnius intercapedine hac res in Polonia agebatur; Boleslaus tribus agminibus stipatus cum Bela Hungariam ingressus, quartum e multitudine Hungarorum in limitibus ad se concurrentium conflavit, et ad Tibiscum recta duxit. Initio atrox ancipiti fortuna committitur praelium, ubi Bela, dum vastatis, et fessis militibus novos substituisset, magnaque pars Hungarorum in ipso pugnae fervore ad Belam transivisset, advenae consternati impetum Hungarorum, et Polonorum diutius sustinere non valentes fugam, qua patuit, inierunt. Hunc fuisse pugnae exitum praeter patrios exteri etiam testatum reliquerunt. a) Andream autem e fuga retractum in villa Zirz custoditum paulo obiisse, et in coenobio Tihon sepultum e Thuróczyo b) discimus. A proelio bonis avibus confecto Bela Albam tetendit, ut pro Gentis suae more redimitus regnum sibi constabiliret. Honoris causa Boleslaus quoque cum victore exercitu se ei comitem junxerat, fortasse rectius, ut Cl. Pray c) putat, ne quid ob novitatem turbarum oboriretur. Coronatione peracta exquisitis muneribus, et laude ornatus in sua remeavit Boleslaus. d)

§. 11.

Idem Boleslaus auxiliatur Belae Filiis contra Salamonem.

Post breve Belae 1063 decedentis regimen communis pene in Hungaria opinio erat, unum e Filiis

a) Lambert. Schafn. ad a. 1061. et Berthol. Cons. Herm. Contr. cont. — b) C. XLIV. — c) Annal. L. II. p. 63. — d) Cromer. L. IV.

Ejusdem sublimandum ad solium esse. Interim hi mira animorum consensione coram Henrico IV. dummodo natalibus, et meritis suis condignus honor haberetur, a) Salamonem Regem agnovere. Post Henrici in Germaniam reditum non videtur natalibus, et meritis Ducum, ut conventum est, condignus honor habitus, n. p. Vidus, (Veit)* cujus potissimum consiliis Salamon utebatur, Regi persvasit, ne tertiam regni partem vi pactorum Ducibus cederet. Qua injuria hi concitati in Poloniam se subduxerunt, ut a cognato ejate Rege Boleslao, quem Micislaus e Casimiro Filio nepotem, ut Geysam e Filia Richesa, habuit, auxilium adversus Salamonem flagitarent. Huc videtur respexisse Thuróczy ante Salamonis restitutionem de fuga Fratrum haec scribens: b) „Interim Geysa Filius Regis Belae sicut erat prudens, et circumspectus cum duobus Fratribus suis adolescentibus assumtis se contulit in partes Poloniae." Recta Cracoviam profectus Geysa ab Uladislao Regis Fratre, et regina comiter, et benigne excipitur. Quid postea evenit e Cromero fideliter excerpimus: c) „Rege tunc apud Praemisliam cum exercitu moram trahente, cumque hybernaturus is esse in Russia referretur, Geysa relictis Cracoviae Fratribus illic ad Eum venit opem ejus implorans. Quem Boleslaus comiter consolatus, cogitare ipse secum, ac deinde cum consilio castrensi consultare, quid faceret? propinquosne exules, atque supplices, intermisso Russico bello, reduceret, an hoc prius conficeret? Ac

a) Aloldus ad a. 1063. — * fuit natione Svevus. — b) P. II. Cap. XLVII. — c) L. IV.

consilium quidem in eam fere inclinabat sententiam, ut Russiam prius pacandam, domandamque, et alienam rem suae posthabendam esse censeret. Ceterum Regi placuit, non esse differendam expeditionem in Hungariam, donec Salamon regnum suum stabiliret, Germanorumque auxilia accerseret. Igitur aestate proxima — — Boleslaus Rex relicto Premisliae, quantum satis esset, praesidio in Hungariam cum reliquo exercitu, et Belae filiis, superatis montibus, qui Poloniam, et Russiam ab Hungaria dividunt, contendit. Confluxit statim ad ipsos non parvus Hungarorum numerus. Salamon, ubi de adventu hostium cognovit — — Mosonium * arx ea erat munitissima, se recepit eo, quod inops ab externis auxiliis parum praesidii sibi contra Patrueles in Hungarorum suorum viribus, atque fide esse existimaret. Ibi Episcopi medios se se interponunt; Belae Filios orant, ne se Patriae parricidio contaminent, pacem deinde inter Eos, et Salamonem non abnuente Boleslao, qui ad intermissum Russicum bellum festinabat, componunt his conditionibus: ut Belae Filii regium honorem cum duabus partibus regni Salamoni permittant; ipsi tertia, Ducumque nomine contenti sint. His rebus magna omnium laetitia confectis Boleslaum cum exercitu, datis de publico amplissimis muneribus dimittunt." His conformia peraeque Poloni alii Scriptores a) narrant, ac in eandem rem cum Thuróczyio

* Timon Ovarinum opinatur, cum ibidem, non item Mosonii arcis rudera prostent. — a) Dlugossus L. III. p. m. 270.

conspirant pacem Episcoporum interventu sancitam fuisse, a) in qua 1065 20a Jan. in Gewr (Jaurini) confecta eluxit vel maxime Desiderii loci Antistitis dexteritas. Qua vigenteDuces eximiam in bellis operam Regi praestiterunt. Ast hac proh dolor! instigantibus pessimis Ministris rupta, non impetratis primo a Polonis petitis copiis ad Bohemos recurrunt Duces, quorum auxiliaribus feliciter in rem suam usi sunt reipsa exitium Salamoni ad Monyorod procurantes. A meta nobis praefixa in longum aberraremus, si domestici hujus incendii quaeque adjuncta recensere vellemus; ubertim hoc praestiterunt alii; b) nos contenti erimus relate ad scopum nostrum in causam tantillum inquisivisse, ob quam Poloni nunc se tam tardos ad sustentandam Ducum fortunam exhibuerunt? meminisse juvabit eotum adhuc (1074) Boleslaum II. ad maenia pertinacis Urbis Kioviensis cum exercitu suo contra Wsevaldum pro Zaslao conjugis suae Patruo excubasse, c) qua Polonorum in hostico commoratione eos nonnihil in defendendis Ducibus remissiores factos fuisse opinari liceat. Accedit: quod tempore hoc jam ob perditos Boleslai mores erumpentis subseque conjurationis fila inter populares ejusdem ducerentur; et hinc iterum pronum est conjicere: Polonos cum Rege, et alios illius cognatos indubie aspernatos fuisse. Conjurationis hujus fila ad telam, quam orsi sumus texere, omnino pertinere dignovimus; quare sequentibus eadem evolvenda suscipimus.

a) ut supra. — b) Katona Hist. Pr. R. H. p. 389. — c) Grebner Hist. Univ. T. II. p. 634.

§. 12.

Boleslaus II. R. Pol. exauctoratus humaniter excipitur in Hungaria.

Foedifrago Salomoni abrogatum Regnum cessit Geysae natu majori Belae filio brevi e vivis erepto (1077) tenendum; Cui surrogatus est frater Ladislaus a sanctimonia vitae conspicuus. (S.) Eodem tempore apud Polonos regnabat jam per nos repetitim memoratus Boleslaus. Hic cum adulteriis, et promiscua libidine alienos thoros, et pudicitiam foedaret, ac in suos ab expeditione Kioviensi absque annutu regio reversos diris suppliciis animadverteret, abstractisque ex adulterio conceptis prolibus catulos Matrum uberibus admoveri juberet, a) a Stanislao Cracoviensi Episcopo, ut resipisceret, privatim admonitus est; monitionum ejus impatiens Rex Praesulem ad necem quaesivit, cumque Illum Sacris operari audiret, Ipse stricto ense in Templum irrupit, lethalique ictu sanctissimi viri verticem tam immaniter feriit, ut accepto vulnere procumbens proximos parietes tabo conspergeret. b) Haec ubi Romam perlata fuissent, S. Gregorius VII. R. P. (pro tunc Dictator Orbis) toti regno Sacris interdixit, Boleslaum diris devovit, ceteros una complices usque quartam generationem excommunicavit. Nihilominus tamen et vinculis sacris inplexus annum, et amplius regnavit adhuc Boleslaus, sed invisus omnibus, externis pariter contemptibilis factus est ita, ut jam Russorum Principes antea domiti ejus hoc in turpi situ detrectarent imperium. Afflicto taliter acces serunt plures afflictiones, posteaquam in caedem illius

---

a) Idem T. II. p. 635. — b) Crom. L. IV.

nobiles, et Primores quidam conspirassent. Quo detecto veritus, ne universale evadat virus, in Ungariam cum Filio Miescone, (Micislao) et paucis aliis fugit. Ladislaus tametsi grande nefas, et multis aliis sceleribus contaminatam cognati sui vitam toto pectore aversaretur; memor attamen hujus utinam magis practici principii: „Vitia, non homines odisse juvat" memor item ab eodem infelice primum quidem Belam Patrem suum, tum se cum Geysa Fratre semel, ac iterum armis adjutum esse, cognatum exulem comiter suscepit. Hungari exemplo Polonorum, apud quos post abitum Boleslai turbis omnia miscebantur, metuentes, ne simili fermento regnum quoque suum inquinaretur, in conciliando Salamone omne studium posuerunt, qui effective non invitus iisdem agentibus jus regni in Ladislaum (1080) transtulit. a) Boleslaus hic unum moratus annum conscientia dillaniatus in amentiam incidens violentam sibi mortem conscivit. Alii tradunt: eum in venatione concito equo in avias sylvas delatum, ac devoratum fuisse a canibus; aut clam errabundum in Monasterio latuisse, ac in culinae ministerio Poenitentiam egisse, vitamque finiisse. b) Post hunc Uladislaus Frater summa rerum apud Polonos potitus, qui postquam Iuditham Vratislai Bohemiae Regis gnatam ex Adelhaide Hungarorum Regis filia, vel ut Cl. Pray c) conjicit, sorore potius susceptam matrimonio sibi copulasset, novum cum Hungariae Principibus sanguinis nexum contraxerat, e quo tardius progenitus est Boleslaus III. rerum gestarum

a) Thuroczy Cap. LVIII. — b) Grebner l. c. — c) Annal. R. H. L. I. p. 54. in nota.

gloria inclytus. Uladislaus hic Miesconem, quem in Hungariam cum Patre fugisse retulimus, timens, ne medio Hungarorum, in quorum gratias ob ingenuam indolem se insinuaverat, regnum paternum armis repeteret, cum aliis exulibus (1081) revocavit. Eodem anno cum Polonis bellatum fuisse vel Miecislai causa, a) vel ob iniquum Boleslai tractandi modum ita refert Thuroczy: b) „Deinde irruit (Ladislaus) in Poloniam. Poloni vero contra ipsum venientes pugnaverunt; sed Hungari juvante Deo victoriam habuerunt. Exinde Hungari castrum Krokow (Cracoviam) tribus mensibus obsederunt. Interim obsessi, et obsidentes caeperunt egere. Rex autem, et Principes petierunt ab omnibus Hungaris, noctis silentio, ut portaret unusquisque ocream solam de terra plenam. Quod et factum est. Fecerunt autem ante castrum montem magnum de terra illa, quem desuper cum farina cooperuerunt. videntes autem obsessi, quod obsidentes abundarent victualibus, et quod diu possent manere ante castrum, arcem cum universis Regi tradiderunt, et pacem ad voluntatem Regis ordinaverunt.“ Eventum hunc primo obtutu certe nisi ruditas aevi excuset, ridiculum, narrat et Bonfinius, c) hunc sequitur et extraneus Gebhardius d) Ast quia Scriptores Poloni secus in consignandis finiti morum rebus non indiligentes (nisi ignominia in suos antenatos ex hinc manans peplum illis superinduxisset) horum nihil meminerunt; insuper cum sciamus Ladislaum justitiae tenacissimum nunquam

---

a) Cromer. L. V. p. 93. — b) P. II. cap. LVIII. — c) Dec. II. L. IV. p. 180. — d) in vers. Hung. T. II. p. 180.

sine gravi causa bellasse cum vicinis, et quidem sanguine junctis, merito hic patrii scriptoris, et aliorum facile hunc sequentium fidem suspendimus, et sic in defectu validioris testimonii tanta simplicitate, ut praetenditur, admissum bellicum stratagema Nationi Polonicae jam tunc infantiam egressae inurere nuspiam audemus.

§. 13.

Juris S. Coronae sub S. Ladislao in Russiam rubram acquisiti indicia.

Russia jam olim, ut Scriptores promunt a) vastae extensionis plaga in plures usque ad praesens tempus distinctis Principibus subjectas provincias divisa erat, inter quas Russia rubra dicta numeranda venit; hanc bello adgredi parabat ab exteris etiam celebratus Hungariae Rex S. Ladislaus, et abhinc non immerito prima juris Hungarici in ditionem hanc initia repeti possunt, quae saeculo post sub Bela III. Rege restaurata, confirmataque fuere. Provinciam hanc per Polonos avulsam, postliminio Coronae Hungariae iterum redditam rerum patriarum periti norunt; et hinc nova nobis eruderandi propositi Hugaros inter. et Polonos nexus suppeditatur occasio. Clientelaris hujus Russiae rubrae ad Coronam Hungariae accessionis initia abinde derivamus: quod jam an. 1086 Kuteskius cum Salamone, ac rursus post quinquennium Kopulchius per eandem plagam Hungariam hostili furore invaserint. Conniventia haec vicinorum sibi Ruthenorum non poterat non dolere etiam optime secus animato Regi; unde consummato feliciter adversus Cumanos bello,

a) Sig. L. B. Herberstein in Comm. rer. Moscov. p. 1. etc.

novam in hos adornare expeditionem in animum suum induxit. Annus 1093 pro his castigandis destinatus erat, magnus sub initium veris itaque hunc in finem fiebat apparatus, quem subodorantes Russi, imo jam Regis adventantis fama adeo perciti sunt, ut sine mora legatos provincialium nomine obviam ei miserint, qui non modo prioris delicti veniam deprecarentur; verum et perpetuam fidelitatem, atque obedientiam Gentis suae Regi Hungariae offerrent. Ladislaus placidi animi Princeps victoria hac sine effusione sanguinis consecuta delectatus, Primores Gentis ad se clementer admisit, qui posteaquam subjectionem suam jure jurando testati fuissent, Russia Hungariae contermina in S. Coronae Hungaricae clientelam concessit. a) Hoc ipsum respexisse videtur Aemilianus Janitsch, dum per S. Ladislaum Russiam clientelarem factam esse annuit.

§. 14.

Nova hinc per Colomannum suscepta in Russiam expeditio explicatur.

Expeditionem per Colomannum infausto exitu coronatam in Russiam susceptam esse, Scriptores tam Hungari, quam Poloni fatentur; solummodo in anno, et causa ejusdem assignanda variant. Priores post, ante obitum vero Divi Ladislai posteriores id accidisse volunt. Nos hac in parte posteriores sequendos esse putamus ipso nobis luculam praebente Thúróczyo haec de Colomanno, quamvis infirma Genealogia, notante: b) „Filius Regis Geysae (Ladislai substituatur)

a) Thuróczy P. II. Cap. LVIII. — b) Idem Cap. LX.

„de Polonia festinanter rediit, et coronatus est.“ Probabiliter itaque, ut Poloni urgent, 1094 eo profectus est Colomannus, vel quia Pater ejusdem jam parum fida utebatur valetudine, vel quia bellicae virtutis, ac fortunae filii Pater voluit capere experimentum; et sic re minus e voto gesta 1095 mortuo Patre Colomanus revocari potuit. Interim hoc non plus, quam conjecturam sapit. — In causis similiter detegendis discrepant Scriptores. Cl. Pray Bonfinio videtur hoc in puncto uti sic desuper loquente: a) maluisse Regem foris occupari militem, quam domi otio corrumpi. Magnum hic nostrum cespitasse Petavium mirari desinemus, si perpenderimus: nihil fuisse Ei (Prayo) naturalius, quam exmittendo e suis Annalibus priorem S. Ladislai in Russiam rubram apparatam expeditionem (§. 13.) praesentisquoque nexum cum priore habentis causas, et tempus ignorare. Nos Polonos secuti lacunam hanc suppletum imus sic: exortis inter Russiae Duces discordiis Svantopelkus Princeps Kioviensis Russiae rubrae Hungaris jam jure clientelari obnoxiae Dominus Jaroslaum Filium in Hungariam misit, ut auxilia contra Wladimirum cognominis Dinastiae Ducem postularet. „Colomannus autem, inquit Dlugossus b) Ungariae Dux — venit cum octo millibus pugnatorum duos Episcopos habens secum, et castris ad flumen Wiar positis; Praemisliense castrum, in quod se Wladimir receperat, et expugnare, et obsidere caepit.“ His aequivalentia scribit etiam Michovius c) eo addito, quod Is Wladimi-

a) Dec. II. L. V. — b) L. IV. ad a. 1094. p. 326. — c) L. III. C. 6.

ri, seu Wolodori conjugem ad pedes Colomanni provolutam, ac ab Hoc indigne rejectam perhibeat. Factum hoc amplioribus circumstantiis vestivit Thúróczyus: a) „post haec autem, inquiens, Rex invasit Rusciam, et Ducissa Ruthenorum nomine Lanca venit obviam Regi, et ejus provoluta pedibus obsecrabat Regem cum lachrymis, ne disperderet gentem illam. Quumque Regem non audientem instantissime sollicitaret precibus, calcitravit eam Rex, et amovit a se dicens: Non oportet regalem Majestatem fletu muliebri deturpari. Illa autem gemens reversa est retrorsum, et rogabat Omnipotentis Dei auxilium. Plurimi autem Cuni — — venerunt in auxilium Ruthenorum, qui de nocte consurgentes summo mane percusserunt castra regis, et usque ad interemptionem dissipaverunt ea crudeliter.“ Cum enim ob loci angustias, et castrorum impedimenta acies Hungarica explicari non posset, fortissimi quiqui Viri cadebant multi. Hoc in situ Colomannus vitam, salutemque suam Nobilitatis Hungaricae Fidei, atque Virtuti acceptam debuit, quem u. p. Nobiles clypeis densatis tectum continuos inter telorum imbres e vallium angustiis ad tutiora loca eduxerunt (manifesto etiam per posteros sectando documento: proprium id esse vero Hungaro, ut quum ipse fide, ac amore in Reges suos nulli concedat, pro Illorum vita, et salute sanguinem fundere in lucris ponat.) Omnis haec strages 4 millium Hungarorum jactura stetit, ut hoc Scriptores Poloni b) memoriae prodiderunt. Quibus

a) P. II. C. LX. — b) Dlugos. L. IV. et Math. de Michovia, ap. Pistor. T. III.

se associat et noster Chronista loco mox cit. Hos inter Laurentius, et Cupanus Episcopi, quorum meminit RR. Koller, a) Comites Gula (Gyulay) et Euzem de genere Almásy, plurimi item alii Viri numerabantur. b) De clade hac praeexistente testium nube dubitare Critica vetat; de admissa unice inhumanitate juvenis Regis Colomanni, qua apud se orantem Lancam calce pedis abegerat, si solus, (ut vult Cl. Nagy c)) referret Thuróczyus, Sceptici manere possemus. Interim posteaquam et extraneos pro facti veritate stare videramus, quamvis a nostro Rege alias cum Cl. Fessler inter magnos numerando tantam maculam detergere cuperemus; non tamen audemus, potius qua talem etiam juvenili adhuc impetu raptatum quid humani admisisse ingemiscimus.

§. 15.

Dissensiones Colomannum inter R. H. et Almum Ducem Boleslaus III. componere tentat.

Post Richesam Belae I. uxorem eodem propaginis gradu et Colomannus, qua Ladislai, et Almus qua Lamberti Filii Boleslaum III. Poloniae Regem tangebant. Ad quem proinde Almus seu turbulentum nactus ingenium, seu insidias sub amicitiae pallio latentes veritus erupit. Boleslaus duplici fuit tunc bello implicitus, quorum utroque terminato partem Hungarorum, qui ei in auxilium venerunt, et non paucos Polonos Almo tradidit, ut hoc exercitu stipatus jura sua ad-

a) Hist. 5 Eccl. T. I. p. 405. — b) Nestor ad a. 1099 ap. Müller. — c) Hist. Pr. T. I. p. 269.

versus Colomannum defenderet. Exhilaratus his Almus in Hungariam festinavit, ac primo statim impetu Castrum novum *) occupavit. [a] Verum mutata repente mente Almus cum Colomanno in gratiam rediit, Hungaris amnistia, Polonis autem domum redeundi venia data. Non fuit diuturna haec reconciliatio; Almus siquidem ad Henricum V. pro auxiliis supplex recurrit, quibus ut resisteret Colomannus Boleslaum, qui prius pro Almo steterat, ad sibi opitulandum provocavit. Unde scribente Cromero: [b] „loco, dieque constituto conveniunt Principes in Scepusiensi territorio, societatem inter se ineunt, communes amicos, communes hostes sibi fore promittunt. Ut foedus hoc firmum, perenneque sit, nova affinitate sanciunt; Colomannus enim Juditham Boleslai Filiam Stephano natu majori Filio suo despondit, Scepusiense (Spiesz) territorium, quod Polonicae ditionis erat, in dotem datum." Hactenus Cromerus, cui se jungunt multi Poloni, quibus etiam si concesserimus pacem vice hac interventu Boleslai Colomannum inter, et Almum revectam fuisse, aprobato etiam Stephanum inter II. ac Juditham matrimonio; terram tamen Scepusiensem per Boleslaum cum eadem Sponsa Filio Regis Hungariae pro dote datam fuisse inficiamur; quod sub incudem ponemus in §. sequenti.

---

*) Aba-ujvár. — a) Annal. L. II. p. 106. — b) rer. Pol. L. V.

§. 16.

Terra Scepusiensis non est data cum Juditha Boleslai III. Filia Hungariae Regis Filio.

Antequam pro assumto themate ceu pro aris, et focis depugnemus, claritatis gratia disserentes desuper prius audire juvabit Poloniae Scriptores. Ne Cromerum in praecedaneis per nos citatum iterum refricemus, Dlugossus ejusdem commilito de eodem objecto taliter comminiscitur. a) „Colomannus Ungagariae Rex Filio suo natu majori (?) Stephano Filiam Juditam Boleslai Polonorum Ducis (?) desponsat uxorem, provinciam Scepusiensem, quae tunc juris Polonorum fuerat, et pars ejus non modica in terra Cracoviensi consistebat, Boleslaus Filiae in dotem consignat. Ab eoquoque tempore sequestrata a Polonia in proprietatem, et ditionem Ungarorum transiit." Eundem jaculari fatiscentem excipit debilior pugnator Mathias de Michovia: b) „Stephanus filius Colomanni Regis natu major accepit Juditham Boleslai Ducis Poloniae natam, cui pro dote assignavit terram Scepusiensem, et ab eo tempore in proprietatem Hungarorum transiit." Sed hi se propriis confodiunt telis, dum Stephano Colomanni Filio Juditham conjugem propugnant, quandoquidem Patrii Scriptores c) pro Adelhaide Henrici Landgravii de Stephning Filia, qua genuina Stephani ejusdem consorte acrius dimicant. Amissum proelium iidem re-

a) Hist. Pol. L. IV. ad a. 1108. p. 372. b) Chron. Pol. L. III. C. 8. p. 49. — c) Schier Reginae Hung. p. 100.

staurare tentant, ac refectis nonnihil viribus Juditham illam terra Scepusiensi dotatam, non Stephano; sed Colomanni Regis Hungariae alteri Filio nupsisse praetendunt. Ipse Michovius priorum oblitus sic prosequitur inchoatum certamen de victoria securus: a) „Refert novissimus Chronicae Hungarorum Scriptor Regem Stephanum Filium Colomanni Filios legitimos non habuisse, nec uxorem, sed pellices tenuisse, et idcirco carens haerede post se regnaturum designavit Belam — ad suscitandam Stirpem regiam Filiam Uros de Servia tradendo ei in uxorem." Ob hoc quidem Polonorum Historici ajunt: hunc Boleslaum Ducem Poloniae tradidisse filiam suam ex Ruthena genitam, Colomanno alteri Filio Colomanni Regis Ungariae, ad coronandum eum in Regem Haliciensem, et non Stephano majori natu Regis Hungariae, illiusque Colomanni Ducis Haliciensis prolem juvisse ad assequendum Regnum Hungariae. Ast nec his expugnat castrum sibi adjudicandae veritatis. Quis ille novissimus Chronicae Hungaricae Scriptor ab Heroe Michovio lectus sit? non assequimur. Nec Thúróczyum, nec Bonfinium, nec Ranzanum admittere possumus, u. p. qui quaestionato Stephano, quamvis non sine mendo, uxorem Roberti Guiscardi Regis Apuliae Filiam concordes tribuunt.

Omnes hos Poloniae Athletas in devium traxisse videtur veteranus ille Boguphalus, (Eppus Poznaniensis) qui suum Poloniae Chronicon (1249) vulgando rem hanc sic expedivit: b) „Iste Boleslaus Fi-

a) L. III. C. 15. p. 57. — b) Ap. Sommersberg rer. Siles. Script. T. II.

liam suam de Ruthena genitam Colomanno Regis Hungarorum Filio matrimonialiter copulavit. Qui nomine dotis Castellaniam de Spisz, quoad viveret, possidendam assignavit. Quem Colomannum una cum Rege Hungarorum Haliciensibus in Regem praefecerunt, cujus coronationem Rex Boleslaus, prout erat credulus, per Regem Hungariae dolose circumventus Castellaniam de Spisz, et loco ejusdem castellaniam Przemislen, nomine dotalitii Filiae suae recepit. Haec autem dolositas fuit origo dissensionum inter Polonos, et Hungaros, prout in sequentibus patebit. Et sic castellania de Spisz a Polonis abalienata per Hungaros usque ad praesens fraudulenter detenta occupatur." In vocabulo Spisz (sub eodem hodiernum Scepusium intelligi cupientes) equitant praenominati Poloni; qui tamen mox ruent, ut primum illis demonstraverimus: Hungaros ante Colomannum Regem tractum Scepusiensem in sua ditione, ac potestate tenuisse. Quod praestamus sic: 1. Belae Regis Notarius ait: a) „Missus est Borsu filius Bunger cum valida manu versus terram Polonorum, qui confinia regni conspiceret, et obstaculis confirmaret usque ad montem Tatur (Tátra) et in loco convenienti castrum construeret causa custodiae regni." Idem continuat: b) „Dux vero Zulta post reversionem militum suorum fixit metas Regni Hungariae — ex parte Boemorum fixit metas usque ad fluvium Moroa (Morava) et eodem modo ex parte Polonorum usque ad montem Tatur, sicut primo fecerat Regni metam Borsu filius Bunger" ac denique: c) „Et subjugaverunt sibi (Ar-

a) Cap. XVIII. — b) LVII. — c) XXXII.

pad, et sui milites) omnes habitatores terrae a Crisio usque ad fluvium Zogeua, (Zagyva) et usque ad sylvam Zepus." (Szepes) E quibus perspicere licet: aetate Ducum Hungariae terram Scepusiensem, tamquam partem ad Regnum Hungariae spectasse. 2° Qua talem etiam sub Regibus perseverasse Cl. Benczur a) evincit ex instrumento quodam Henrici IV. (ab an. 1056—1106 imp.) Imperatoris fidedigno, in quo montes Carpathicos Tatri dictos Comitatum Scepusiensem a Polonia disterminantes praelaudati Imperatoris aevo finibus regni Hungariae fuisse circumscriptos videre est. 3° In Codice Diplomatico R. H. b) Emerici Regis Hungariae producitur diploma, tenore cujus Idem Rex (1198) donat A. Eppo Strigoniensi (Jobo) decimas tributorum terrae Scepusiensis, in quo haec ad rem nostram facientia legimus: „Nos eadem fide, qua salvari volentes in perpetuum statuimus, quod de omnibus proventibus Regalibus A. Eppus Strigoniensis decimam ad plenum recipere debeat, prout semper receperunt. Item decimam tributorum in terra Scypisiensi — — in perpetuum pro mensa sua, sicut per SS. Reges erant donatae." Unde hunc in modum arguere licet: si ante annum 1108 Polonicae ditionis, ut praetenditur fuerat Scepusium, quomodo seu Stephanus, seu Ladislaus Sanctissimi Hungariae Reges, qui ante praeattactum annum certo vixerunt, in alieno solo decimas A. Episcopo Strigoniensi donare in perpetuum potuissent? quod tamen Rex Emericus diserte affirmat. Quibus ad cla-

a) Ungaria semper libera p. 65. — b) RR. Georgius Fejér T. II. p. 324.

ritatem positis finem pugnae imponimus, recessum canant Poloni, quibus ambiguitas nominis Spisz imposuit. Cum enim provinciam Scepusiensem Schlavi Spisz nuncupent, inde hi in errorem inducti terram nostram Scepusiensem cum Polonica illa Castellania de Spisz perquam facile confuderunt. Castellaniam autem illam de Spisz non in Comitatu Scepusiensi, sed in Palatinatu Russiae Leopoliensis prope Haliciam, et Premisliam civitates quaerendam esse e verbis praeallatis Boguphali, imo et Dlugossi non obscure elicimus, qui Praefecturam Przemisliensem cum Spisziensi conjungunt utramque haud magno quidem ab Halicia, at longiore intervallo a nostro Scepusio remotam. Certe hoc nomen Spisz in mappis Geographicis praecedanei adhuc saeculi expressum in Pocutia, seu terra Haliciensi collocatum videri potest. a) Evicta causa boni maneamus Amici!

§. 17.

Error hic e secundis Colomanni R. H. nuptiis tolli potest.

Ad alterum Colomannum R. H. transiisse thalamum Thúróczyus b) insinuat; de qua altera Colomanei thalami socia Cl. Cornides sic loquitur: c) „Et nomen Russicae illius Feminae Principis Kioviensis indicat, et annum, diemque contracti matrimonii definit S. Nestor Russicus Scriptor plane coaevus Historiae Russicae Pater. Is enim in Annalibus suis Russicis Swatopolki Magni Russiae Principis, qui

a) Cornides Vindiciae p. 286. — b) P. II. Cap. LXI. — c) Genealog. Reg. Hung. p. 75.

Kioviae sedem habuerat, filiam Prodslavam dictam 1104 die 11. Augusti Regi Hungariae nupsisse memoriae commendavit." Huic congruit alter aeque synchronus Otto Frisingensis, a) qui una innuit genitum ex eadem Borichium, seu Bartholomaeum magnarum subin turbarum auctorem. Nos addimus: in hujus Russae conjugis complacentiam Colomannus indubie novam Russorum coloniam in Regnum suum immisit, quorum nomen, et memoriam oppidum Nagy-Oroszi (in C. Neográd.) hodiedum retinet. b) Quam tamen postea repudiatam, et ad suos remissam Borichium enixam fuisse legimus, qui an pro legitimo, vel adulterino Colomanni Filio habendus sit? disputare non vacat; satis sit in nexu conceptus nostri hic animadvertisse: eidem Borichio per Joannem Comnenum Orientis Caesarem cognatam suam desponsatam esse, e qua levavit filium putatitii Avi nomen praeseferentem Colomannum. Et hic Haliciensium Rex renunciatus, ac teste Boguphalo corona redimitus est.

§. 18.

Stephanus II. bellat cum Polonis.

Evoluto tertio ab expeditione, de qua narravimus, in Russiam per Colomannum suscepta anno, bellum Polonis per Stephanum II. Colomanni Filium, et successorem illatum esse Thúróczy c) meminit: „post haec tertio anno fines Polonicos missis exercitibus devastavit" id ipsum sub Stephano hoc factum fu-

---

a) L. VII. Cap. XXI. ap. Urst. T. I. p. 151. — b) Istvánfy L. XVI. p. 168. — c) Cap. LXIII.

isse post humiliatos Dalmatas idem totidem verbis jam prius significavit: „inde reversus missis exercitibus suis fines Polonicos devastavit." Hostilis hujus excursionis recordatur Bofinius quoque a) hanc praeterea adnectens causam: quod hi (Poloni) et sibi, et Patri saepe injurii fuerant, neque fines incursionibus, et rapinis tutos servarant, sed latrociniis, et incendiis saepe violarant. His nostratium Scriptorum testimoniis posttergatis Cromerus b) utramque hanc Stephani expeditionem rejicit: „propterea, quod necessitudo, et affinitas Stephani cum Boleslao nihil hostile de ipsis inter ipsos opinari sinit" in cujus sententiam nos ipsi grati iremus, dummodo ad elidenda Duumvirorum in billance historica alioquin satis parum appendentium positiva momenta, si non graviora, adminus paria adferret idem aliorum testimonia. At vero allegata illa inter Juditham, et seu Stephanum, seu alterum Colomanni Filium Matrimonii vincula ad turbandum aequilibrium insufficientia esse declaramus, quum illa nunquam ligata fuisse superius propugnavimus; necessitudo itaque aut affinitas Stephani a bello cum Polonis gesto admittendo nos, revocare nequit, quamvis ejusdem sufficientes causas, exitumve ob silentium veterum ingnoremus. Imo, ut credamus consequentia svadent; mox enim experiemur Poloniae Regem Borichio Regnum Hungariae inique ambienti non multo post aperte favisse.

---

a) Dec. II. L. VI. p. 194. — b) L. V. p. 124.

§. 19.

Boleslaus III. Pol. Rex causam Borichii tuendam suscipit.

Editus in lucem, ut jam attigimus, Kioviae Borichius, Matre adulterii crimen constanter negante, se pro legitimo Regni Hungariae haerede venditabat. Igitur Stephano II. suo, (ut credebat) germano improle decedente Coronam Hungaricam ad se prae Bela coeco pertinere existimabat. Cujus obtinendae ergo primo ad Aulam Constantinopolitanam properavit, quam tamen dum in vota sua difficilem invenisset, domum redux ad suas partes pertractis post matrem consanguineis Russorum Ducibus Poloniam ingrediens ducem terrae illius, teste Ottone Fris. a) „ad voluntatem suam inclinavit, sicque cum exercitu adjutorio illius ex vocatione quorumdam Ungarorum Comitum, sylvam, quae Polonos, et Ungaros sejungit, transiens Pannoniam ingreditur." Ex his liquet: Borichium a quibusdam Hungaris evocatum esse, affirmante idipsum Thúróczyo, b) qui ultro procedens dicit: Regem Belam II. (Coecum) pacto prius cum Austriacis, Bohemisque foedere copias collegisse, ac in Antistitum, Procerumque sibi fidelium comitatu ad Sajónem castra metatum fuisse. Hic antequam manus consererent e praesentibus quaesivit: quid de natalibus Borichii sentirent? detectis hac ratione e responsis Borichianae factionis patronis, dato signo eorum multi trucidati sunt quam plurimis ad castra Borichii dillapsis. His actis placuit communi regni

a) L. VII. Cap. XXI. — b) P. II. Cap. LXIV.

Ordinum nomine Legatos ad Boleslaum Poloniae, ceterosque Russiae Duces mittere, qui referrent: „non decet vos contra justitiam quaerere Regnum homini adulterino. Nos enim scimus, quod de jure regnum habere debeat Bela, et ipse regnat cum consensu totius regni. Queis auditis Duces Russiae, et Poloniae destiterunt amplius adjuvare Borichium, et reversi sunt singuli in provincias suas.“ a) Ceterum quare Boleslaus reditum suum admaturaverit Scriptor Polonus reddit causam hanc: b) quod eodem hic commorante Sobjeslaum Bohemum Hungaris confoederatum in Poloniam irrupisse inaudiverit. Redeuntem nostri insecuti quid patraverint, ne partium studii arguamur, pro nobis Cosmae Pragensis continuatorem loquentem c) inducimus: „eodem anno, inquit ille, dux Polonorum cum infinito exercitu in Ungariam profectus est volens Filium Colomanni, expulso Rege coeco, qui vocatur Bela, invitis Ungaris intronizare. — Sed ejus propositum divina Providentia destruxit. Nam coecus Rex cum exercitu ei occurrit, et Boleslaus cum suis perterritus, expectata nocte fugam iniit, quem Ungari insecuti Deo auxiliante multos in ipsa fuga interfecerunt. Digressis auxiliaribus suis Borichius pariter nil cum exigua manu utiliter a se tentari posse videns in Poloniam se recepit novitus animos Polonorum contra Belam inflammaturus. Res ut optarat, e voto cessit, insequente illico anno (1133) bellum iterum recruduit. d) Borichius enim, incertum quibus technis, eo rem

a) Idem ibid. — b) Crom. L. V. — c) ad a. 1132. Ed. Vien. p. 16. 17. — d) Katona T. I. p. 573.

suam adduxit, ut Boleslaus Polonus, Russiaeque Duces majore, quam antea apparatu eidem suppetias tulerint. Bela pariter propriis diffidens viribus Albertum Austriae Marchionem affinem suum in auxilium evocavit. a) Junctis igitur viribus (die 22. Jul.) commisso praelio multis Polonorum, et conjuratorum Hungarorum caesis, et captis Borichius e regno exesse jussus est. b) Hac victoria potitus Bela, ne Boleslaus iterum confusus plura audeat (1134) Petrum Albensem Praepositum ad Lotharium Caesarem cum 2 albis equis bene faleratis, quorum sellae XXVI marcas auri (2080 aur.) in se continebant, misit, qui tantis muneribus allectus accedente Sobjeslai intercessione effecit, ut Boleslaus deserto penitus Borichio intimam cum Bela rege amicitiam iniverit; c) quam tamen sub Filio Belae (Geysa II.) ruptam fuisse in §. sequenti videbimus.

§. 20.

Geysa II. R. H. adstipulatur Minoslao Russo contra Polonos.

Per fugam Borichii in Graeciam pacata Hungaria, Geysa Patri succedens auxilia Minoslao Russiae Duci misit, quibus refractarios in officio contineret, et vim a Polonis illatam retunderet. Expeditionis hujus, et quidem geminae memoriam conservavit Thúróczy: d) „post haec autem, ait, Rex Geysa dedit ducales expensas Fratribus suis, Ladis-

---

a) Richardus Neob. T. I. p. 231. — b) Chron. Cap. LXIV. — c) Otto Fris. L. VII. Cap. XIX. — d) P. II. Cap. LXVI.

lao, et Stephano; duxitque exercitum in Rusciam super Lodomerium Ducem, ut vindicaret injuriam Soceri sui Minosloi, pro quo etiam jam pridem miserat exercitum, qui male tractatus fuerat a Ruthenis, et Cunis." Quando primum miserat? non constat. Timon a) id anno 1150 factum fuisse censet; Cromerus autem b) ad a. 1147 rejicit. Posteriorem videtur sequi Cl. Pray c) qui Geysae nuptias cum Filia Minoslai, quam e Bulla Innocentii IV. Euphrosinam dictam fuisse constat, d) post satis infeliciter susceptam expeditionem initas ad a. 1148 refert. Clariora sunt, quae de altera prodiderunt Scriptores, et quidem per Geysam jam causa Soceri Minoslai suscepta, quando Graecanicum bellum ad Danubium eruperat. Pandit hoc Nicetas Choniates, e) qui de bello Graecanico agens haec interserit: „Hungarorum Rex peraegre aberat cum finitimis Rossis depugnans." Cinnamus autem testis oculatus plane causam assignat: f) „Nunciatur Pannorum Regem cum ingentibus illic adesse copiis summo animi ardore cum Romanis pugnare gestientem rebus in Galicza (Galicia) regione Tauroscythicae praeclare, feliciterque peractis. Hujus quippe rei potissimum causa Imperator (Manuel) bellum istud aggressus erat, quod se invito Vladimerum (id nomen erat Galiciae Principi) Virum Romanis foederatum invasisset." E quibus fluit: Geysam contra Vladimirum Galiciae Principem prospero successu bellasse. Quam rem ver-

---

a) Epit. Chron. p. 17. — b) L. VI. p. 144. — c) Annal. L. III. p. 136. — d) Péterfy Con. Hung. T. I. — e) apud Katona p. 599. — f) apud eund.

bosior e domesticis Bonfinius hunc in modum enarrat: a) „Post haec Ruthenorum bellum exarsit. Nam quum Rex (Geysa II) Minoslai Ruthenorum Principis Filiam duxisset uxorem, ex qua Stephanum, et Belam tertios accepit, cum nonnullis aliis, qui immatura morte subrepti sunt, atquae Ruthenorum factionibus hanc pro Socero expeditionem suscipere coactus est. Lodomerius enim Chunorum fretus auxiliis, Minoslaum Regno ejicere, et tyranidem invadere ausus est. Rex quum Socerum a Lodomerio graviter oppugnari accepisset, exercitum in Roxoniam misit — — mox proelium initum. — — Quo caesis utrinque multis Lodomerius cum Chunis, et Ruthenis partim fusus, et fugatus est. Minoslaus profligato hoste generi opera cuncta, quae amiserat, subito recuperavit.“ Quibus combinatis hallucinatur Leunclavius, b) qui hic Galiciae appellatione Valachiam a Galatia, hodie Galatz Valachiae in confiniis Moldaviae ad Danubium Urbe sic dictam autumat. Haec per extensum memorasse ideo necessum erat, ut Jura in Galliciam inferius evolvenda clarius pateant.

§. 21.

Idem Geysa II. Gertrudem sororem Miecislao Poloniae Duci despondet.

Geysa ducta jam in uxorem Euphrosina, ut firmiora necteret cum vicinis cognationis, affinitatisve vincula, Gertrudem alteram sororem Miecislao Po-

a) Dec. II. L. VI. p. 206 et 207. — b) Pandect. Hist. Turc. C. 71.

loniae Principi, postquam Eudoxia Haliciensis Ducis filia eidem defuncta fuisset (1149) collocavit. In sententiam hanc concedit Timon a) eo addito, quod praefatum Sponsum cum Henrico Boleslai cognomento Crispi Fratre confundat. Cromerus b) e contra utrumque disertis verbis secernit. E recentioribus Cl. Pray c) de Gertrude hac, qua Belae caeci filia subdubitat; Katona d) autem, nec non Pálma e) eam pro tali agnoscunt. Nos, qui nexum ambarum Nationum praeter Polemicum, genealogicum quoque eruderare occepimus, nec hoc silentio praeterire valuimus, cujus adhuc magis dilatandi causa optassemus, si de Reginis Hungariae plurimum meritus Schierius f) assertum suum de Anonyma Heroslai Haliciensis Principis Filia, tamquam Stephano III. Geysae II. filio in manus data validioribus munivisset testimoniis. At vero Cinnamus, cujus auctoritatem respexit, sibi minus constat, cum in progressione sui operis de eodem Hieroslao ad praemissa se non reflectens haec subjungat: g) „neque Filiam Tuam ducet Stephanus" unde ad non consummatum hoc Matrimonium concludunt Scriptores, maluntque post Chronicon Claustro-Neoburgense inarchatam Eidem (Stephano III.) Agnetem Filiam Henrici Ducis Austriae copulare. h)

a) Epit. ad. a. 1149. — b) L. VI. — c) Annal. L. III, p. 136. — d) T. I. p. 569. — e) T. I. p. 483. — f) Reginae Hung. p. 120. — g) Apud Kat. edit. Vien. p. 106. — h) ad a. 1165. ap. Hier. Pez. T. I.

§. 22.

Bela III. Rex H. acquirit jus in Galliciam, et Lodomeriam provincias.

A morte Geysae II. (seu a. 1161) usque sublimationem Belae III. (seu a. 1173.) turbida in regno Hungariae fuerunt tempora, quae tandem Bela rebus domi bene ordinatis, armis foris feliciter usus reparavit, potentiamque Hungarorum etiam exteros agnoscere docuit. Signanter, quod ad institutum nostrum plurimum confert est, quod anno 1188 Galliciam, seu eam Russiae minoris ad occidentalem Boristhenis plagam secundum Tyram, seu Danastrim flumen porrectam regionem, qua Polonia hodie Carpathicis montibus ab Hungaria, et Transylvania disjungitur, a) dominio S. Coronae Hungaricae asseruerit. Ex quo jure etiam, velut praecipuo fundamento provincia haec cum Lodomeria per M. Theresiam 1772 recuperata est, hinc earumdem ditionum incorporationem, aut reapplicationem in Generalibus Regni Comitiis Inclyti Regni Hungariae SS. et OO. repetitis vicibus urgere sustinent. * Materiam hanc pro rei gravitate mascule elaboratam reperimus apud Cl. Pálma b) cujus ductu quaestionata Jura dillucidatum imus.

S. Ladislaum jam in Russiam rubram clientelare jus voluntaria Principum oblatione consecutum fuisse, supra §. 13. indicavimus, quod aetate hac, inqua versamur accessione Galliciae firmatum, auctumque

---

a) Cromerus L. V. — * Vide Diar. Comitior. 1827 et 1830. — b) T. I. p. 550.

est. Rerum in Polonia M. potiunte Casimiro Boleslai III. Filio Principatum Halitsch Colomanus, quem Cl. Fessler a) Borichii e Juditha Casimiri sorore genitum Filium projectat, obtinuit; quo demum veneno e vivis sublato b) de eodem Principatu bini Galliciensis Ducis Filii itidem e Casimiri sorore nati, u. p. Miecislaus, et Lodomerius (Wladimir) acriter contendebant, donec posterior et Matris favore, et provincialium consensione regnum Galiciae indipisceretur. Aegre tulit id Miecislaus, qui facto ad Casimirum recursu illud Fratri eripuit. (1182) Tum pulsus regno Lodimirus, rebusque suis diffidens fortunae suae jacturam, ac naufragae perfugium quaesivit apud Belam III. Materno sanguine sibi alioquin junctum. Interim Galicienses Miecislai cum Casimiro nexum abominati metuebant, ne penitus in servitutem redigerentur, impositum sibi Principem (1185) veneno peremerunt. Casimirus intellecto eo armatus in Galliciam procedit, ac Lodimirum a regno excludere certus, Romanum (post Cl. Fessler suum nepotem) Lodomeriae Ducem invitis Galliciensibus Ducem obtrusit. Verum recedente ad sua Casimiro missi sunt ad Belam III. e Gallicia nuncii communi Primorum gentis nomine flagitantes, ut eos tam ab intrusi Ducis, (Romani) quam etiam a Polonorum oppressione liberatos in fidem reciperet, quin tamen Ladimirum in Hungaria exulem, quem pariter ob intemperantias, et crudelitatem oderant, repetierint. Avide hanc pristina Hungarorum in Galliciam jura

a) T. II. p. 138. — b) Engel, Geschichte von Halitsch. p. 496.

vindicandi occasionem arripuit Bela III. Quare Lodomerium, ne moras consiliis suis injiceret, (facile id ipsis Legatis projectantibus) apud se in custodia retinuit, Andream autem expetitum secundo genitum, esto impuberem adhuc (11. annor.) Filium cum exercitu Galliciam occupaturum (1186) dimisit. Hic virtute suorum profligato Romano inter faustas populi acclamationes principem Regni arcem Halic (Galiciam) ingressus accepto a Primoribus fidelitatis juramento Galliciae regni possessionem adiit.

Hanc Galliciae per Hungaros pro Andrea occupatae historiam ne ipsi quidem Poloni Scriptores a) negare audent. Belam III. jura Hospitalitatis dumtaxat violasse importune criminantur, quum salutis anchóram in ope sua fixurum ad se profugum Ducem (Lodomerium) custodiae in locum misericordiae mancipavit, eodemque ab haereditate sua per vim excluso Galliciam Filio suo asseruit. Interim praeeunte Cl. Katona b) erudite conjectante: „Belam jus in Halliciam arrogasse inter cetera et ideo, quod Wladimirus ejus cognatus de veneno Fratri porrecto suspectus se Principatu indignum reddiderit" exculpandus videtur Bela. Accedit indubitatus Belae III. cum Gallicianis maternus nexus, quo spectato observante Cl. Fessler: c) quemadmodum Casimirus suum nepotem Romanum praeter voluntatem populi cum onere solvendi tributi Gallicianis potuit imponere Principem; ita, imo aequitati conformius egit

---

a) Boguphalus ap. Som. T. II. p. 48. Dlugossus L. VI. p. 553. Crom. L. VI. p. 165. — b) Hist. Pr. R. II. T. I. p. 675. — c) T. II. p. 139 sub Nota.

Bela postulantibus iisdem Gallicianis prae Wladimiro ipsis inviso tradendo suum filium Andream. Hoc ipsum svadebant adjuncta illius aevi, nondum enim Borealis stabat colossus, Russicae provinciae adhuc pluribus a se independentibus parebant Principibus, nec Gallicia eo tum certae cuipiam regnanti Familiae per conventionis tabulas adhuc adstricta erat. Quibus consideratis laude potius, quam criminatione dignus evadit Bela, dum procellis expositam Galliciam jure cognationis, antiquorum foederum, et armorum usus provincialibus gravi Wladimiro ereptam Filio suo juniori Andreae consignavit, primusque Regum Hungariae ceris Galiciae Regis titulum ad Successores etiam transmissum incidi fecit.

§. 23.

Fata Andreae in Gallicia.

Principatum in Gallicia Andream obtinuisse diximus; qui tamen non fuit diuturnus. Lodomerius enim corruptis auro custodibus ex Hungaria elapsus (1187) in Galliciam redivit, ubi ab Hungaricis, Russicisque Andreae copiis profligatus amenti similis Cracoviam ad Casimirum se recepit. Casimirus etsi crudelem hominem detestaretur, ut tamen Hungaros a povinciae hujus possessione arceret, Nicolao Comiti Palatino, et Cracoviensi Vajvodae negotium dedit, ut justo cum exercitu Galliciam ingressus pulsis inde Hungaris Lodomerium restitueret. Conjunxerunt se Polonis Russi, et Haliciam obsidione cingunt. Alacres initio obsidionem, atque omnia incommoda ferebant Hungari praesidiarii, quod pro-

pediem Belam Regem cum majori adjutorio ad liberandum Filium affore sperabant. Sed cum is moraretur, nec alimenta obsessis snppeterent, deditionem facere, pacti cum Nicolao Palatino, ut sibi cum rebus suis salvis discedere liceret, decreverunt. a) Quo facto Gallicia (1188) Lodomerio occupanda est relicta, cujus causa deinceps Belam inter, et Casimirum gravissimae lites exortae sunt, quae tandem constitutis utrinque arbitris pristino foedere renovato sopitae sunt. b)

In nexu foederis hujus Scriptores Poloni praetendunt: Belam III. eo tum juribus suis, si quae prius habere visus est in Galliciam renunciare coactum fuisse. Ast pro fortuna Coronae Hungaricae supersunt Foederis hujus capita per synchronum Vincentium Kadlubko in scriptum relata, in quibus tamen renunciationis praetensae nec penumbra quidem apparet. Hinc eam a recentioribus Scriptoribus partium studio (illo veritatis sepulcro) agitatis falso excogitatam eo confidentius asseveramus, quod duo publica instrumenta producendo simus post memoratam pacem confecta, in quibus Bela III. Galliciae titulo usus legitur. Et quidem 1o facit hoc in literis Episcopi Scardonensis Michaelis Monasterio Monialium Jadrensium datis: c) „Anno ab Incarnatione Domini 1189 mense Maji, die II. astante indictione VII. temporibus equidem Domini nostri Belae gloriosissimi Regis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque, et Gallaciae.“ Non secus 2o in tabulis con-

a) Crom. L. VI. — b) Vincent. Kadlubko Cap. XVIII. p. 797. — c) Farlat. T. IV. p. 12.

cordiae Jadrenses inter, et Arbenses initae: a) Anno Dominicae Incarnationis MCXC. mense Junii, die SS. Joannis, et Pauli, indictione VIII. Jadrae temporibus Domini nostri Belae, Dei gratia invictissimi Regis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, nec non Gallaciae.“ — — Quibus pensatis rem sic cum Cl. Pálma, quocum orsi sumus, complanandam esse censemus: ut affirmemus: eundem Lodomerium fine procurandae sibi in possidenda Gallicia securitatis, ambobus Principibus, Hungaro puta, et Polono clientelam vovisse, cujus exemplum, Ejus in Ducatu successores secuti sunt. Quo facto nexum illum, quem praesentibus in examen vocamus, obvallatum; jus item S. Coronae Hung. in quaestionatas dinastias porroquoque castum perseverasse plene credimus, tanto citius, quod urgente Cromero b) foedus ita percussum fuisse legamus, ut obliteratis utrinque injuriis, et condonatis invicem offensis Hungari deinde cum Polonis habeant hostes, et amicos communes.

§. 24.

Colomannus Andreae II. R. H. Filius Rex Galliciae constituitur.

Acquisitum hactenus Hungarorum in Galliciam jus Successores etiam Belae III. pro virili sustentarunt. Sic Andreas II. hujus Filius Filiorum suorum secundo Colomanno (1214) Regnum illud detulit, institutumque suum Romano Pontifici Innocentio III. per literas ab Odorico Raynaldo ad praemissum an-

a) Lucius L. III. Cap. XII. — b) L. VI.

num relatas significavit. Singulares sunt hae, et posterorum memoria dignae literae, quod iis Rex Hung. Andreas id a Summo Pontifice majorem in modum postulaverit, ut Filii sui in Regem Haliciae coronandi negotium A Episcopo Strigoniensi daret in mandatis: „quatenus, inquit Rex, Venerabili in Christo Patri Strigoniensi A. Eppo. detis in mandatis, ut Apostolica fretus auctoritate dictum Filium nostrum (Colomannum) eis (Halliciensibus) in Regem inungat, et sacramentum super obedientia S. S. Romanae Ecclesiae exhibenda ab eodem recipiat.“ a) Probabatur susceptum Regis consilium Apostolicae Sedi, unde (1215) Joanni A. Eppo, Colomannum in Regem Galliciae coronandi potestas venit. b) Dispositionem hanc Andreae calculo suo probavit et Honorius III. Papa sic ad Illum scribens: c) „dispositionem, quam de terra Tua fecisti Regnum Ungariae Primogenito tuo Belae, regnum vero Galliciae Colomanno relinquens, et eorum alterutri, vel utrique sine liberis decedenti Andream instituens successorem, sicut juste et provide facta est auctoritate Apostolica confirmamus.“ Quod autem reipsa in talem coronatus fuerit, inferimus e literis praelaudati Pontificis ad Andream exaratis: „Nuper ex parte Tua fuit propositum coram Nobis, quod cum dudum — — Regi nato Tuo secundo genito ad Regnum Galliciae sibi datum per ven. Fratrem Strigoniensem A. E. auctoritate sedis Apostolicae coronato in Regem etc.“ Quibus perpen-

a) Ap. Pray Annal. L. III. p. 204. — b) Georg Fejér Cod. Dipl. T. III. Vol. 1. p. 163. — c) Raynaldus ad a. 1217. ap. Pray p. 209. L. III. Annal.

sis Colomannum in Regem Galiciae coronatum fuisse ille solum ambiget, qui Innocentii, et Honorii utriusque III. RR. PP. magnum in res politicas influxum ignoraverit. Coronatum fuisse, et alii annuunt Scriptores, tantum in determinando ritus hujus Ministro discrepant. Ita Bzovius a) habet Colomannum a Craconiensi A. Eppo. çoronatum; sed cum solennia haec ad a. 1204 figat, nos potius Brevi Apostolico insistendum esse remur. Hoc ipsum vindicat titulus per Colomannum in editis diplomatibus adhiberi solitus: „Colomanus Dei Gratia Rex Ruthenorum, et totius Schlavoniae." Videatur desuper Codex Diplomaticus, b) nec non Not. praelim. regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Schlavoniae. c)

Occasio occupandae strictius clientelaris adusque Galliciae, et Lodomeriae per Andream II. R. H. sumta est e furore populi in Wladimirum, ac Romanum suos Principes saevientis, quos u. p. apprehensos una cum uxoribus, ac liberis exanimes eferati suspenderunt. Barbariem hanc Princeps Stscherbatow Colomanno instigante patratam fuisse tenet, quem tamen eotum, qua tenerum, inibi haud fuisse Cl. Engel propugnat, d) ex qua una discimus: ad motus hos provinciarum harum intestinos comprimendos Andream primo Belliduces suos expedivisse, ac tandem ipsummet excurrisse, cum sciamus tempestate in caput Reginae Gertrudis excitata eundem ibidem moras traxisse. Quia vero Colomannus anno patratae

---

a) Ap. Pray Annal. L. III. p. 204. — b) Geor. Fejér T. IV. Vol. 1. p. 36 etc. — c) Kercselich p. 497. — d) Geschichte von Halitsch p. 514.

caedis Reginae (1214) nonnisi 6. aetatis annum egerat, hinc post tres annos, dum Pater in Palestinam iret, qua novennis Galliciam regundam testamentaliter obtinuit.

§. 25.

Audiantur desuper Scriptores Poloni.

Colomannum Andreae II. Filium in possessionem Haliciae pervenisse Scriptores etiam Poloni consentiunt asserentes: a) „Colomannum Andreae II Filium natu secundum cum Salomaea Lesci Albi filia Haliciam dotis nomine accepisse. Ingressus magno Episcoporum, et Optimatum comitatu Haliciam Rex omnium suffragio salutatur, non multo post in Mescislao aemulum nactus. Hic namque jam ante adventum Colomanni Haliciae Principatum prensabat, aegre proin tulit nunc se Hungarorum, ac Polonorum opera ab eo exclusum esse; Russi pariter conversionem Sacrorum veriti Mescislao adstipulabantur, qui tantis stipatus auxiliis, vastatis agris versus principalem Haliciae Urbem tetendit. Hungari, et Poloni re comperta occurrere potius aperto marte, quam intra muros praestolari hostem malebant. Itaque communita diligenter arce, et Colomanno cum uxore, et imbelli multitudine in ea relicto, hostibus adventantibus obviam progressi praelium commiserunt. Nec difficulter Poloni, qui dextrum tenebant cornu, Russos loco moverunt, fugientesque longius prosecuti sunt: quin in alteroquoque cornu jam ad Hungaros inclinabat victoria. Ibi Mescislaus

a) Crom. L. VII.

cum Polonis eos a tergo adortus facile securos dissipavit, et magna strage profligavit. Majorem etiam in Polonis sine ordine revertentibus stragem edidit, cum vexillum eorum captum erexisset. Accurrentes enim ad id a Polonis pariter, et Russis conversis excipiebantur, et trucidabantur. Ita totus fere ille exercitus ad internecionem deletus est. Colomannus autem a victoribus in arce diu obsessus tandem fame, et siti adactus deditionem fecit, et annum fere totum una cum uxore Salomaea in custodia asservatus est a Mescislao.“ Hactenus fata Colomanni verbis Cromeri delineavimus; quem captum quidem, sed rursus liberatum fuisse Honorius III. his innuit: a) „Casu sinistro accidit, Regem ipsum cum Sponsa sua, et pluribus aliis viris Nobilibus a tuis hostibus capturari, et tamdiu extra regnum ipsum mancipatos custodiae detineri, donec necessitate compulsus, quum ipsos aliter liberare non posses, juramento praestito promisisti, quod et Filio Tuo tertio genito (Andreae) Filiam Nobilis Viri Misozlau matrimonialiter copulares. — — Dat. VI. Kal. Febr. Pont. an. VI. Xti 1222.“ — Multa de hoc Colomanno, sed minus congrue Dlugossus proponit, cujus obitum ad a. 1225 ita defigit: b) „Colomannus dum annis tribus in Principatu Haliciensi sedisset; apud Haliciensem arcem morbo, aut veneno, incertum est, correptus moritur.“ Minus congrue diximus, cum nobis e testibus fidem indubiam promerentibus innotuerit: eundem tertio post anno Croatiam obtinuisse; multaque praeclara pluribus annis egisse, donec post castam cum

a) Ap. Katona T. I. p. 739. — b) ibid.

Salomaea vitam e vulnere, quod in proelio cum Tartaris ad Sajónem commisso acceperat (1241) ad Superos abiisset. Cujus vita spectata mirari desinemus: Gallicienses eò consilii delapsos fuisse, ut suscipiendorum Haeredum gratia a Rege Andrea tertio genitum cognominem sibi prae Colomanno submitti urgerent, Hungarico enim Sceptro jam tunc parere asveti verebantur, ne sine liberis decedente Colomanno foeda anarchiae vulnera recrudescant. Ceterum hic Mariae Miecislai filiae Sponsus vivo adhuc Patre mortuus est. a) Colomannus autem, qua talis decedente etiam Andrea permansit, quod in subsequis expendemus.

§. 26.

Galicia, et Lodomeria devenit ad Belam IV. R. H.

Colomannum secundo genitum Andreae II. Filium Galliciae Regem coronatum fuisse in praecedentibus enerravimus. Nihilominus tamen Patrem ejus Andream usque ad finem vitae suae (1235) axiomate Regis Galliciae, Lodomeriaequae constanter usum fuisse copiosa ejusdem diplomata evincunt, quae tineis erepta Magn. Cons. Georgius Fejér pro gloria Nationis Hungarae luce publica donavit. b) Nobis, ne nude asserere videamur, omnium loco sufficiat citasse unum extremo vitae Regis anno (1235) editum, quo Is donationes priorum Regum Ecclesiae Quinque-Ecclesiensi factas recenset, et confirmat; in com-

a) Thom. A. Diac. Spal. et Chron. Mellic. ad a. 1242. —
b) T. III. Vol. II. Codex Dipl.

pensationem vero sumtuum a Bartholomaeo loci Praesule occasione susceptae in Aragoniam legationis factorum adjectis terris auget quoque. Cujus initium hoc est: „In nomine S. Trinitatis, et individue (ae) Unitatis. Andreas Dei Gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerieque Rex.“ Vestigia Paterna hoc in passu pressit Filius Bela IV. qui diploma suum (1235) sic orditur: a) „In nomine S. Trinitatis, et individue Unitatis. Bela Dei Gratia Hungarie, Dalmatie, Chouratie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie etc. Rex“ quod tardioribus etiam regiminis sui temporibus fideliter praestitit, prout hoc in nunquam satis celebrando suo opere Idem Vir Patriae Literatorum Sydus ad apricum ponit. Unde nos sic cogitantes confidimus, nemo reprehendet: Cum duos Reges in uno regno simultanee regnantes admittere nequeamus, necesse est, ut Colomannum regnum Galliciae lege beneficiaria vivente Patre possedisse adstruamus, qui u. p. S. Coronae Hungaricae jure fiduciario obstrictus Regum Hungariae Majestatem, summamque jurisdictionem eo, ac debuit, modo agnovit. Hinc fluxit illud, quod post obitum Andreae II. dum Bela IV. ceu natu maximus decedentis Filius Colomanni Haliciae Regis Frater in Regem Hungariae inaugurraretur, idem Colomannus ensem regalem Fratri praetulerit; Daniel vero, Romani illius, cujus jam mentionem fecimus, filius Dux Lodomeriae (fiduciarius) equum regium perreverenter tenuerit, quem solennem ductum Thúróczy b) ita describit: „Bela post eum (An-

a) Id T. IV. Vol. I. p. 21. — b) P. II. Cap. LXXIV.

dream II.) Filius ejus coronatus est pridie Idus (Cl. Pálma a) addit: Calendas) Octobr. Feria 1a qua cantatur: Da pacem Domine. In Cath. Beati Petri Albae, quam Ipse consecrari fecit, Colomanno Duce Fratre ejusdem, ensem regalem ad latus ipsius honorifice tenente, Daniele vero Duce Ruthenorum equum ejus ante ipsum summa cum reverentia ducente." Cum autem Colomannus nullas susciperet e Salomea proles, b) Haliciensis haereditas ad Belam IV. Regem Hungariae, qua verum, et supremum Dominum jure devoluta est.

§. 27.

Qui provincias has tradit genero suo Ratislao jure clientelari tenendas.

Inter numerosas Belae IV. Filias Anna quoque referenda venit, quam Pater Ratislao (Rostislaw) opinione multorum natione Bulgaro c elocavit. Huic genero suo Bela Halliciensem terram titulo Ducis contulit sibi, Successoribusque Regibus Hungariae fiduciario futuro; quod plurima probant Regis hujus Diplomata in Codice Diplomatico d) cernua, in quibus Rex titulum Regis Galiciae sibi reservat uno, eodemque tempore, quo memoratum Generum jam Galliciae Ducem creatum esse itidem diplomata testatum reddunt. e)

Ast non multo post Ratislaum inter, et Danielem, cujus paulo ante meminimus, contentiones ena-

a) T. I. p. 660. — b) Pasko Chron. Pol. cont. ap. Som. T. II. p. 77. — c) Anon. Prag et Crom. L. IX. — d) T. IV. Vol. I. — e) ibid.

tae sunt. Ratislaus cum resistendo se imparem videret, acceptis a Socero suppetiis vim vi propulsandam decrevit. Pugnatum est ad Jaroslaviam praelio acerrimo a) in quo Ratislaus virtute nonnisi Magistri Laurentii (de genere Hedervár) strenui Hungarorum Herois e faucibus mortis ereptus est. Quo facto Russi fugantur, quos Hungari insecuti duplicatum referunt triumphum. Discimus hoc e literis Regis (Belae) encomia Laurentii hunc in modum celebrantis: b) „Primo siquidem, cum adhuc in numero, seu collegio domus nostrae famam pollentem, et nomen duceret gloriosum, ipsum cum Charissimo Genero nostro, Ratislao Duce Galaciae, in partes Russiae cum ceteris regni nostri Magnatibus duximus transmittendum, qui sub castro Iroslo Ruthenis quam plurimis in perniciem ipsius generi nostri exeuntibus, de eodem, et armatam in expeditionem nostram dirigentibus aciem, zelo devotae fidelitatis armatus, volens potius post mortem vivere per famae gloriam, quam tergum hostilitati hujusmodi vertere, se objecit, ubi transfosso hostili lancea cruore suo exstitit lethaliter vulneratus. Deinde cicatrice sui vulneris non dum obducta, cum Daniel Ruthenorum Rex ad campestre proelium contra ipsum nostrum generum prodiisset, strenuitas ejusdem Magistri Laurentii desidiae obscuritatem abhorrens in lucem prodiit probitatis, et singulariter hostili se immiscens aciei, quemdam de Rusciae Baronibus impulsu dejecit lanceali, quem supra dictus Gener no-

a) Fessler L. IV. T. II. p. 564. — b) Timon Imago nov. Hung. Cap. V. p. 26. et Cap. XIII.

ster fecit capite detruncari. In quo conflictu, cum equus saepe dicti Ducis, generi nostri perdilecti fuisset interfectus, idem M. Laurentius solitae fidelitatis insistens fervori, vitamque jam dicti Ducis praeferens vitae suae, equum, quo vehebatur, eidem Duci tradidit, et se inter hostes confertissimos posuit, variis periculum fluctibus involutum, sicut praemissa supradicti Ducis, et multorum fidelium, ac fide dignorum nobis relatio patefecit.“ Adusque Bela, quae per extensum adduxisse opus erat ideo, ut nullum de controversia per Danielem Belae IV., ejusque Genero causa Haliciae suscitata maneat dubium, quam tamen compositam fuisse nulli ambigimus tunc, quando Constantia Belae IV. Filia eidem Danieli in manus convenit. Hanc Eidem reipsa nupsisse e Dlugosso, Cromero, atque Bollando (ad diem 28. Jan.) clarum est; non secus e literis Olomuciensis Eppi ad Papam directis (1273) id ipsum perspicimus. a) Per Matrimonium hoc, e quo Leonem Urbis Leopolitanae (Lemberg) conditorem, item alterum Romanum prognatos tradunt Scriptores, b) Danielem (quibusdam Leonem etiam dictum) Socero reconciliatum esse luculentum fit exinde quod Eidem (Belae IV.) in bello Styriaco cum Ottocaro gesto auxilia tulisse memoretur in literis Bohemiae Regis. c) His praemissis redeamus ad Ratislaum, a quo tantillum diggressi sumus. Hunc ob Haliciam clientelae beneficio possessam S. Coronae Hungaricae obnoxium, Regique Hung. subjectum fuisse e

---

a) Raynald. ad h. a. ap. Pray. — b) Pálma T. I. p. 703. — c) Pray Annal. L. IV. p. 307.

publicis Chartis per Illum signatis eruimus. Ab anno nimirum 1243 (post mortem prcin Colomanni) usque 1251 Ratislaus una cum aliis Regni Hungariae Baronibus diplomata Regia hunc in modum subscripsit: a) „Ratislaus illustris Dux Galliciae, et Banus totius Slavoniae.“ In diplomatibus autem a. 1251, jam non Ratislaus ponitur Banus, sed alter, nomine Stephanus; b) quia jam tunc Ratislaus, de quo agimus, Machoviensis Ducatus (quem aliqui cum Masoviensi Poloniae commutare mallent) perpetuum dominatum e Soceri donatione consecutus vicaria illa Schlavoniae procuratione ultro se abdicavit. Unde Belae IV. documentum de a. 1254 jam taliter subscripsit c) „Ratislaus Dux Galitiae, Dominus Machoviensis, Gener Belae IV. Hungariae Regis.“ Excedens e vita praeter filias Cunegundem Ottocaro Bohemo, et Griffinam Lesco nigro Siradiensi pro conjugibus datas, Filios pariter superstites reliquit duos: Michaelem, et Belam, quorum fata in quantum nos ferient, enarrare caepto more prosequemur; prius tamen quid adhuc commune Nationi Hungarae cum Polonis sub Bela IV. intervenerit, lustremus.

§. 28.

Bela IV. Filias suas Poloniae Principibus elocat.

Intercapedine hac nuptiae inter Cunegundem Belae IV. Filiam, et Boleslaum Cracoviae Ducem celebratae sunt. Sponsae Hungarae Maritus Polonus terram Sandecensem in compensationem paraphernа-

a) Palat. R. H. p. 38 etc. — b) Id p. 43. — c) Id p. 44.

lium pecuniarum perpetuo possidendam contulit. a) Nuptias has conciliasse creditur Salomaea Colomanni Galliciae Regis a servata castitate dillaudata consors, quae ut ipsa erat probitati insigniter dedita; ita mores Cunegundis ab ipso ortu curiose exploraverat. Longinus rerum Polonicarum Scriptor, et nuptiarum apparatum, et vitam Sponsae compendio ita refert: b) „Futuram optimam indolem ipsa etiam crepundia praemonstarunt. Quamprimum siquidem anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MCCIV. apud Pannonicos matris alvo, in primis, quibus in lucem infantula edebatur, horis non ab ejulatu, et lachrymis, ut ceteri infantes, sed a Gabrielica denunciatione suos auspicata est ortus. Claram enim, articulatam, et sonoram Ave Regina Caelorum, in idiomate Ungarico edidit vocem. Quartis insuper, et sextis feriis semel tantummodo sugere, ubera contenta Praesulem B. Nicolaum in ipsa infantia aemulabatur. Deducta est autem praefata Virgo cum magno apparatu ferens secum amplam, 40 v. l. millium marcarum dotem Cracoviam, ubi et solennitas nuptiarum, diebus 12 acta est. Ex eo autem tempore, et deinceps Cunegundis Ducissa praefata celsitudinis suae nomen, et meritum ea celebritate per pietatis opera apud regiones Polonicas diffundebat, ut non secus, quam altera egregiae virtutis B. Hedvigis — — Ducissa, cujus et ipsa Cunegundis neptis ex sorore germana fuerat, (Hedvigis Divae Elisabethae Andreae II. R. H. filiae matertera, Ber-

a) Geor. Fejér Cod. Dip. T. IV. Vol. II. p. 443. — b) Hist. Pol. L. VII.

tholdi, et Agnetis Moraviae Marchionum filia) a) in Polonico populo videretur surrexisse. Feruntur autem ambo (ae) in aevum Virgines permansisse, et primo nuptiarum die, primum quidem ad unum annum, quo lapso ad alterum, et deinde in tertium, quo efluxo felici Cunegunde operante, et instigante in omne aevum Domino Caeli caelibatum spontanee vovisse, et servasse. Ex quo Boleslaus Dux pudicus meruit appellari." Huic consonat Cromerus, ex quo anachronismos Longini ita reducimus, ut annum nativitatis Cunegundis 1224 — nuptiarum 1239 — mortis demum 1292 statuamus. b) Hac operante villae Capituli Ecclesiae Cracoviensis libertatem dato iis diplomate c) consecutae sunt, quod memorabile est vel ideo, quod inibi Salomaea Galaciae Regina legatur, quam tamen Galiciae Reginam fuisse nemo ignorat, unde iterum confundantur illi, qui Gallaciae, Galiciae nomenclatione in regiis Hungariae tabulis Valachiam intelligi cupiunt. * Eadem agente Salis in Polonia fodina Aerario regio profutura ad florem perducta. Quae demum mortuo Boleslao exactis 13 in Monasterio S. Clarae Sandecensi, quod ipsa condiderat, annis 24 Jul. (1292) placide vitam finiit, cujus cultum per Poloniam Alexander P. VIII. approbavit, Clemens autem XI. Eandem in primariam ejusdem Regni, et M. Ducatus Lithvaniae Patronam rite electam confirmavit, qua talem etiam Clerus Hungariae Dom. VII. post

---

a) Acta SS. P. H. ad 17 Oct. — b) L. VIII. p. 204. — c) Pray Annal. L. V. p. 298. — * recole §. 20.

Pent. annue veneratur. a) Procuratum per Cunegundem Filiam Nationi suae cum Polonica nexum Bela novis paulo Hymenaeis vinculis roboravit, dum attestantibus utriusque Gentis Scriptoribus alteram Filiarum suarum Helenam (quibusdam Jolantham) Boleslao Pio Callisiensi Poloniae Duci in uxorem tradidit.

§. 29.

Bela IV. tantis cum Polonis nexibus implicitus commune a Tartaris experitur malum.

Boleslaus V. Pudicus a Conrado Patruo liberatus non diu Poloniae Principatum tenere potuit tranquillum. Tartari enim e suis sedibus moti primo Russiam Albam (Masoviam) torrentis instar inundantes, devictis Russorum copiis eam sibi subegerunt; inde in Russiam rubram, mox in Poloniam effusi maximas hominum strages ediderunt, ac Polonos (1241) bis congressos internecione deleverunt. Cladibus his attritus Boleslaus in Hungariam cum uxore Cunegunde fugit; Tartari vero nullo jam hoste resistente magnam Poloniae partem caedibus, et incendiis foedant. Inde Battus Tartarorum R. Filius cum una exercitus parte arma in Hungariam vertit, cui tardius caeteraequoque prius per Silesiam, atque Moraviam dillapsae barbarorum reliquiae se sociarunt, et sic duae hae Nationes locorum vicinitate, mutuisque foederibus jam dudum coadunatae per eosdem hostes propinata dirae mortis pocula uno tem-

---

a) Off. nova Pr. Cass. 1829. p. 359.

pore bibere coactae sunt. Ne infandum per enarrandam tempestate hac Patriae nostrae acceleratam ruinam renovemus dolorem, supersedemus, praestitit hoc oculatus Rogerius. a) Rex Bela capiti suo consulturus conscenso equo, quem Illi Don, et Barnabas filii Rugach (apud Prayum Forgách) suppeditarant b) continente fuga Túrócziensem Comitatum attigerat in Polonia apud Generum suum auxilium quaesiturus. Sed en! similium fatorum inscius in eadem provincia Filiam cum genero pari calamitate implicitam obviam amplexatur! hinc mutata mente Posonium properat, inde cum uxore, prolibus, et clenodiis Regni ad Fridericum Austriae Ducem veteranum suum concessit. c) Reversis postliminio in sua Tartaris utrique in solitudinem pene redactas Respublicas suas ordinare caeperunt, donec erumpentibus iterum (1260) in Poloniam Tartaris idem Boleslaus a caeptis prohiberetur. Quorum furore afflictus denuo Boleslaus novum iu Hungaria asylum quaesivit — denique domum reversus 1279 ex hac vita migravit.

§. 30.

Redeamus ad Galliciam.

Per Belam IV. Galliciae datum fuisse Ratislaum Hungariae clientelarem futurum in praemissis defendimus, Cui duos una Filios fuisse eodem loco attigimus: Michaelem repetimus, et Belam, qui-

a) Carmen miserab. — b) Kaprinay Coll. Dipl. sub B. T. XXVII. p. 358. et Fejér T. IV. Vol. I. p. 286. — c) Timon in epit. Chronol.

bus R. Pont. Urbanus IV. (1264) omnes possessiones per Avum Patri datas ratihabuit. Literas Pontificias a Bzovio commemoratas e scriniis Bibliothecae Vaticanae extraxit, et cum Daniele Cornides rerum patriarum congnitione nemini facile secundo communicavit Rss. Jos. Koller, e quibus credere par est: Michaelem in Hallicia, Belam vero in Machovia haeredes Patri surrogatos fuisse. Misso hic Bela, solum de Michaele, ut supra promisimus, paucis quantum ad thema nostrum pertinebit, delibemus.

Hunc reipsa Galliciae jure fiduciario praefuisse elicimus e tabulis pactorum Patrem inter (Belam IV.) et filium (Stephanum V.) 1262 initorum a) „Interposito etiam consimili promittimus Sacramento, quod si in subsidium Michaelis Ducis Charissimi Fratris nostri exercitum aliquem mittere nos contingat, non mitteremus, nec ipsum exercitum procedere patiemur per terram Charissimi Patris nostri, nec in possessionibus Baronum, sive servientium ejusdem Charissimi Patris nostri, quas iidem in portione nobis assignata habent, et possident, exercitum, quem misimus, descensum aliquem facere, et aliquid aliud spolium, vel gravamen inferre aliquatenus patiemur.“ Jam hic terminus „Frater“ lato sensu apud Hungaros Fratrem natu minorem, aut Sororis filium una, eadamque voce (Ötsém) exprimere amantes usitato sumendus venit docente hoc ipsum alio loco parallelo: idem namque Stephanus (V.) in pacis cum Ottocaro Bohemiae

a) Pray. Annal. L. IV. p. 311.

Rege (1271) ictae contextu Belam Machoviensem Ducem Michaelis natu minorem fratrem suum Fratrem compellat. a) Habuit equidem Stephanus (V.) Fratrem germanum nomine Belam, haud inficiamur; ast Hunc totius Sclavoniae, et Croatiae Ducis titulo gavisum fuisse, monumenta loquuntur; b) praeterea hunc qua talem anno adhuc 1269 vita functum patet e Belae (IV.) privilegio Ecclesiae Zagrabiensi impertito. c) His ex aequo libratis conficitur: Michaelem eum, quem Stephanus in citato instrumento Fratrem suum nominat, reipsa non Fratrem fuisse Stephani, sed ex Anna sorore Filium Ratislao Galliciae Duci genitum, Patrisque in eadem provincia successorem. Hoc ipsum et contextus verborum svadet. Certum quippe est: Belam germanum fratrem Stephani Croatiam, et Sclavoniam; alium autem Belam Ratislai filium Machoviam cum Bosnia possedisse; Stephanum denique praeter Transylvanos, et Cumanos, tractumquoque illum Hungariae, qui cis, et trans Tibiscum situs est, secundum tabulas pacificationis cum Patre consecutum fuisse. Quare, ut Michaeli Duci assignemus Haliciam, prono fluit alveo, secus nunquam salvabimus juratam fidem Stephani Patri promittentis: quod eidem (Michaeli) subsidiarias cohortes e Transylvania mittere velit; quin tamen eas per paternas, terras traducere necessum habeat. Cum vero Frater hujus (Bela) fuerit, ut vidimus, Machoviensis Dux, hinc probabiliter fluxit e calamo Cro-

a) Ap. eund. Raynald. ad a. 1271. — b) Thomas A. D. Spal. C. 51. — c) Kercselich Not. prael. p. 199.

meri a) error asserentis: Masoviae Duces post Danielis Romanovitz tempora regnum Galliciae occupavisse. Nominum similitudine, ut jam Cl. Cornides observavit, deceptus Ducatum Polonicum Masoviensem cum Ducatu Hungarico Machoviense idem auctor imprudenter confudit.

§. 31.

Stephanus (V.) R. H. cum Polonis pangit foedus contra Bohemos.

Decedente Patre Stephanum (V.) in Poloniam iter suscepisse apud Scriptores obvium est; quamvis in reddenda ratione discrepent. Longinus b) Stephanum sui regni initia a pietate auspicatum ad lustranda S. Stanislai Cracoviensis Antistitis limina concessisse scribit. Cl. Pray c) quamquam iter hoc pietatis causa susceptum minime refragetur; tamen non imperite fortassis opinatur ad pangendum cum Polonis foedus etiam adornatum fuisse. Hoc ut credamus, imponunt nobis adjuncta. Haerebat nimirum in animo Stephani Styria nullo pene sanguine fuso amissa, neque cladis ad Moravam fl. acceptae memoria obliterata erat. His de causis, quum jam solus regnaret, bellum adversus Ottocarum Bohemum pararat. Quem ut humiliare valeat in communionem armorum Boleslaum provocare placuit. Pronum se Hic cognato suo exhibuit, praesertim, quod Oppaviam sibi nuper per Bohemum per injuriam ereptam gravate ferret, unde communes amicos, hostesque

---

a) L. XII. — b) Hist. Pol. L. VII. — c) Annal. L. IV. p. 324.

cum Hungaris se habiturum pollicitus est. Et reipsa in expeditione hac Hungarorum contra Bohemos partem aliquam habuisse Polonos inde concludere licet: quod in paginis pacis (1271) cum Ottocaro confectae inter reliquos Dominum Leszkonem quoque, et Fratrem ejus Ducem Cujaviae etc. legamus. a)

§. 32.

Dubia de Andrea praetensivo Ladislai Cumani Fratre in Poloniam profugo relatio.

Ladislaum dictum Cumanum R. H. S. Coronam diversis foedasse vitiis, perhibentibus documentis publicis vix amplius in dubium vocari potest. b) Poloni Scriptores ab exercita libidine ad sanguinarium prorsus, et inhumanum facinus patrandum eum prolapsum narrant, quod nos hic tacite praeterire nequimus. Dicunt n. p. Regem in Fratrem suum Andream ingentibus odiis exarsisse, quum videret multos e Proceribus Eidem propter egregiam Principis indolem adhaesisse. Qui ne quid acerbius in se Frater constitueret, in Poloniam ad Cunegundem cognatam suam fuga se subduxit, a qua Premislao Cracoviensi Duci commendatus magno in honore apud Polonos fuit. Ladislaus elapsam sibi manibus praedam vehomenter dolens, aliquot e suis subornat, qui in Poloniam delati quacumque possit via Andream neci dederent. Hi ut primum eorsum venerunt, salutato Principe, et captata ejus consvetudine, a Ladislao ob sua in Andream studia ad mortem se

---

a) Id p. 327. — b) Rajnal. ap. eund.

quaesitos impudice simulant. Larvatis his facile fides habita fuit, dignosque censuit Premislaus, quos Andreas familiaritate sua dignaretur magno olim futuros usui, si Ladislaus improlis obiret. Verum illi detecta, quam gestiebant, larva Principe comprehenso, ac in Nidam fluvium praecipitato, scena quasi praeclare gesta in Hungariam rediverunt. Excepit eos Rex (Ladislaus) comiter, et magnis praemiis donatos spe futurorum implevit. Ita Longinus. a) Similia coacervat et Dlugossus b) haec una adjiciens:" post paucos dies a caede, primoque funere Ducis Andreae corpus ejusdem Sandecium 18a Nov. 1290 deductum fuisse. „Quae si non addidisset, nostrum a credendo scrupulum citius amovissemus; homines enim, ut cupiditates suas explere possint, ad eos, qui sibi obstare videntur, de via adhibitis quibusve imperviis technis, quandoque confictis calumniis deturbandos valde pronos fore, utinam nostris non intueremur oculis! At vero haec adnectendo, Scriptor propriis conciditur armis, quandoquidem Ladislaum (ut praetenditur, Fratricidam) praenotati anni 10. Jul. crudeli fato sublatum Scriptores alii omni exceptione majores promunt. Suspecta dein horum narratio redditur per silentium Simonis de Kéza coaevi Scriptoris, qui Chronicon suum eidem Chuno Regi dedicavit, in quo tamen praetensi Andreae, qua Fratris nec manes quidem occurrunt. Unde non sine verisimilitudine conjicimus: Scriptores hos simulatum cum vero confudisse Andream, quem domestici revera aquis mersum periisse fatentur. Haec atti-

a) L. VII. — b) L. VII. p. 856.

gisse sat erat, ut ostendamus pertenuem et ex hinc nexum iis, qui nefors praelaudatis Polonis Scriptoribus pertinacius adhaererent.

§. 33.

Certiora Andreae III. R. H. causa Polonorum facta.

Andreas III. pace cum Alberto Austriaco composita aliquamdiu respirans per Uladislaum Locticum Lesci nigri fratrem, Principem Sandomiriensem, et Siradiensem fine dandae sibi contra Boleslaum Masoviae Ducem, ac Henricum Ligniciensem, atque Glogaviensem Principem assistentiae provocatus est, qui ceteroquin cognato suo post primam suam uxorem Fenenam Wladislaviae Ducis filiam faciles praebuit aures; idcirco quosdam Regni sui Barones ab intrepido animo celebratos cum numerosa armatorum manu in Poloniam expedivit, quorum virtute prostratos fuisse aemulos suos palam gloriabatur Boleslaus. a) Eminuit hic vel maxime invicti hujus aevi Achillis Georgii M. Filii Sinka, qui adversario sagittas pluente vim vi retudit, nec non Joannis Kemény Agazonis regii, et Comitis Baranyensis, item Fratrum Pauli, Seraphini, et Joannis Comitis Rechk filiorum militaris fortitudo; quorum tamen postremo in loco praelii manente duo priores castrum Prodat obtinuerunt. b)

---

a) Fessler T. II. L. IV. p. 708. — b) Schedius Zeitschrift T. II. p. 44.

§. 34.

Conclusio praesentis Periodi.

Vidimus e praedeductis Stirpis Arpadianae cum Andrea III. tumulo illatae Reges Hungariae omni tempore ita animatos fuisse, ut cum vicinis Polonis nexum seu genealogice, seu polemice spectatum inviolate servarent. Vidimus indubia Eosdem in Galliciae, ac Lodomeriae provincias jura acquisivisse; unde Galliciae, et Lodomeriae Regis titulus inter Hungariae Regum axiomata relatus exstitit, quem inclinatis etiam post deplorandam Tartarorum devastationem Hungarorum rebus per Stephanum V. — Ladislaum Cumanum — ac Andream III. constanter usuatum testatum faciunt innumera diplomata, quae ab interitu praeservata Vir suis titulis dignissimus a) e scriniis in lucem protraxit. Quid deinceps utrinque factum Periodo sequenti evolvemus.

---

a) Rss. ac Magn. Cons. Praep. Georg. Fejér Vol. XII.

PERIODUS III.

(Ab Anno 1300—1560.)

§. 35.

Utrumque Regnum in deligendo sibi Rege nutat.

Sub principio Periodi hujus utraque Natio intuitu dignitatis Regiae eadem ferebatur navi; Poloni defuncto (1296) Primislao Wladislaum III. Locticum salutarunt Regem, qui tamen intellecto pro sibi substituendo Venceslao Bohemo Senatus decreto regno decedens primo Romam, inde in Hungariam venit. Hinc intelligitur: quo pacto idem Venceslaus oratoribus Hungaris Coronam S. offerentibus dicere potuerit: se cura duorum regnorum detineri. Interim Venceslao (1305) e vivis sublato amissum Locticus Thronum recuperavitt. Similes phases aetate hac subivit et Hungaria. Exstincto namque ultimo Arpadi surculo primo Venceslaus Junior, hoc per Patrem ablato Otto Bavarus, quo in patriam suam redeunte tandem Carolus Robertus (1308) anhelis concupitum votis Sceptrum consequitur. Dissociatis ita civibus Hungariae non potuerunt ita integros se servare Principes vicini Rutheni, quin alterutri factioni se adjungerent. Georgium quidem Lodomeriensem Ottonis partes fovisse inde suspicari licet, quod idem

Otto regno Hungariae decedere coactus e Transylvania in Russiam minorem ad Georgium Ruthenorum Regem Belae IV. R. H. (e Constantia Danieli elocata) nepotem se contulerit, a) ut id refert illorum plane temporum Scriptor Ottocarus Hornek. Clariora sunt, quae sub Carolo ab aemulis libero evenerunt.

§. 36.

Carolus I. per duplex connubium regnum suum ad majorem cum Polonis ponit nexum.

Ad magna illa, quae Carolus animo gestiebat, realisanda longa opus erat praeparatione. Magnos praesertim per connubia procurari nexus, optime scivit Carolus; unde Mariae natione Polonae, ut tradit Thúróczyus b) Filiae Ducis Kazmerii expetebat nuptias, quae 1315 Albaeregiae suum vidit tumulum. Altera Beatrice 1318 novitus amissa novos rursum meditatus amores Sponsam e Polonia Elisabetham Wladislai Cubitalis filiam deducere in animum suum induxit. Hunc in finem (1320) missi in Poloniam Legati exposita cur venissent causa comiter accepti sunt, oblatis Uladislaus mox subscribit foederibus, quae ad se in solio conservandum plurimum valitura praevidit. Ne autem vota Regis moraretur, expetitam Filiam suam Legatis cum splendidissimo comitatu Budam deducendam commisit. c) Quae celebratis magno apparatu nuptiis Albam deducta Regina Hungariae de more Gentis inaugurata

a) Ap. Cornides. — b) P. II. Cap. XCI. — c) Crom. L. XI.

est. a) Haec est illa forma, et moribus decora Elisabetha, cui ut Dlugossus b) prosequitur:" a Divinitate collata fuit faecunditas, ut quinque illi pulcherrimos masculos, v. l. Carolum, Wladislaum (paulo mortuos) Lodovicum, Andream, et Stephanum per successiones, et intervalla annorum produceret „Immemor hujus Reginae merito attributi encomii paulo inferius idem Scriptor hanc in eam vibrat calumniam:" Habet nonnullorum assertio, Felicianum militem in eam rabiem lapsum ideo fuisse, quod Elisabeth Regina Hungariae, Filiam ipsius Feliciam Claram, apud se demorantem germano suo Casimiro — tunc in Hungaria agenti ejus decore capto prostituendam tradiderit „Quem pudorem Regiae domui causatum etiamsi Casimiro alienos toros saepius invadenti attribueremus; a lenocinio tamen Reginam ob egregias animi vires absolvendam censemus."

§. 37.

Idem Carolus Casimirum III. in adipiscendo Poloniae Solio juvat.

Wladislao III. Loctico Poloniae Rege 1333 e vivis sublato, dum Poloniae Proceres in dando ei Successore in partes scinderentur; mox ad conciliianda Casimiro Affini suo eorumdem suffragia Nuncios Cracoviam destinavit Carolus: c) „quoque gratior esset precatio, inquit Dlugossus, offerunt Carolum Hungariae Regem, affini suo Duci Casimiro in necessitatis articulo quaeque possibilia suffragia

---

a) Timon in Epit. ad hunc an. — b) L. IX. p. 975. — c) L. IX. p. 1029.

gentibus, equis, et armis laturum" quibus auditis Casimirus Poloniae Thronum 25. Apr. 1334 coronatus conscendit. Facto hoc Carolus Casimirum sibi ultra modum obligavit; unde hic eum pro dirimendis Polonos inter, ac Crucigeros, nec non Bohemos contentionibus Arbitrum delegit. Locus conventus in diem 19. Nov. stabilitur Vischegradum in Hungaria. Quid isthic a Regibus actum, qua pompa accepti, dimissique sint? omnium copiosissime Bonfinius a) complexus est: „Cum inter hos Reges de ineunda concordia, perpetuaque societate in Wissegrado ageretur, paucis post diebus pax confecta. Hi tanta rerum copia, et tantis apparatibus tractati, ut nemo e Bohemis, Polonisque fuerit, qui vini, et obsoniorum omnium abundantiam satis admirari possit." Hanc iterum Regis Hungariae in tantos Hospites liberalitatem Thúróczy b) his perstrinxit verbis: „Omni die ad prandium Regis Bohemorum ex munificentia Regis Hungariae expendebantur duo mille, et quingenti panes, et de cibis regalibus copiose; pabulum etiam equis Ejus per singulos dies 25 garletae; (cubuli) ad prandium vero Regis Polonorum mille, et quingenti panes, de cibariis etiam abundanter. De vino autem expensae sunt 180 tunelae. (urnae) Accessere dona pro dignitate distributa, quae Pannonici Regis magnificentiam cum aeterna laude testantur." Enumerat dein idem pretiosa illa munera, quibus Joannem Bohemiae Regem excoluit; tum subjungit: „Non minore quidem magnificent ia in Casimirum usus est; qui cum statuta Bohemiae

a) Dec. II. L. IX. p. 253. — b) Cap. XCVII.

Regi tributa penderet, quippe Cui Poloniae jus omne paulo ante — — ille concesserat, hac beneficentia dimissus est — — ut debita ad assem Joannis stipendia persolveret. Demum illic confecta pace, perpetuaque societate convenit inter eos, ut quicumque ex his Regibus primus vi, armisque ab aliis laederetur, ceteri continuo auxilia pacta conferrent." Pacta haec non tantum domestici; sed et extranei Scriptoris Dubravii Bohemi auctoritate confirmantur. Noster demum Chronista a) plane summam Regi Bohemiae pro Casimiro depensam in 500 marcis auri purissimi (40,000 aur.) revelavit. In Conventu hoc: Bohemus omni in Gnesnensem, Callisiensem, et ceteras Poloniae inferioris provincias jure se abdicavit; Polonus vicissim avitis suis in Silesiae, et Oppoliae Ducatus, Urbemque Vratislaviam juribus aeque subscribente Carolo renunciaverat.

§. 38.

Carolus Visegradi excipit Lotkam fiduciarium Russiae Ducem.

Russiam rubram sat diu bini Galliciae, et Lodomeriae Duces S. Coronae Hungaricae fiduciarii administrarunt. Verum a. 1324 his demortuis Tartari plagam illam incursare caeperunt. Unde jam Wladislaus III. Poloniae Rex ad importunos hospites amovendos datis ad Joannem 22. Papam literis majorem in modum oravit, ut is expeditionem Cruciatam contra eosdem praedicari juberet. Socerum su-

---

a) Cap. XCVII.

um imitatus est etiam Carolus, a) qui insuper animo revolvens: quam ardua esset militi suo in Podolia, et Ukrania adversus Tartaros pugnanti lex jejunii, et abstinentiae, ab hac milites suos dispensari (1322) petiit, et obtinuit. Pugnatum esse notabili praelio, et nostros insigni victoria potitos ex Benedicti XII. R. P. gratulatoria Carolo submissa epistola scimus. Ex bello hoc adversos Tartaros tanto aestu gesto illud non obscure conficimus: Russiam rubram eo tempore ad Hungarorum jus pertinuisse, secus enim, quid opus erat, ut Carolus cum tam magnis sumtibus connexam expeditionem ad ejiciendos e provincia non sua barbaros susciperet? Id ipsum agnovisse censendus est et Lotka Russorum Dux, qui np. sub finem Jun. 1338 Vissegradum cum Gentis suae Primoribus appulit, ubi a Rege honorificentissime acceptus in Hungarorum se amicitia, ac fide perpetuo mansurum data sponsione promisit, et non multo post, quam foedera icta fuissent, amplissimis muneribus donatus in Russiam rediit. Haec nobis de Russia rubra innotuere; Galliciam, autem, Lodomeriamque clientelares eo tum fuisse exinde conficimus: quod Thúróczy b) potentiam denati Caroli describens praefatarum provinciarum nomina inter indubitata Sceptro Carolino subjecta regna recenseat.

---

a) Annal. L. I. P. II. p. 35. — b) Cap. XCIX. p. 89.

§. 39.

Casimirus III. R. Pol. Carolo gratus esse pergit.

Quae Carolus Visegradini pro bono Regni Poloniae perfecerat; apud Casimirum alta mente reposta manebant. Dum itaque ex Anna uxore sua suscipiendi masculi haeredis nullam spem amplius haberet 1339 mense Majo Cracoviam Comitia suis indixit, in quibus de Successore deliberatio institueretur. Divisa fuere inibi vota; quidam Ducem Oppoliensem, alii e Massoviensibus unum substituendum perorabant. Sed Casimirus Massovienses Duces Regni Poloniae esse feudatarios declarando, Oppoliensis autem frequentatam perfidiam accusando omnium attentionem in Domum Carolinam vertit, e qua Ludovicum, vel Stephanum evocandos potentius adursit, quos u. p. praeter laudabiles animi qualitates, insuper maternus Sanguis ad regendam Gentem Polonicam prae reliquis Canditatis aptissimos fore augurari sinit. „Cum jam in vota sua praesentes propendere vidisset; in Hungariam in persona festinavit, ut Dlugossus a) testatur, et septima die mensis Jul. in Vissegrad ad generum (affinem) suum Carolum Hungariae Regem perveniens, praefatum Ludovicum nepotem suum a sorore in Poloniae Regem accepit, et designavit.“ Qualiter exceptus, et quid hic actum fuerit connotavit Thúróczy: b) „Anno Domini 1339 Kazmyrus Rex Poloniae in mense Julii venit in Visegrad ad Carolum Regem Hung. cum

a) L. IX. p. 1055. — b) P. II. Cap. XCXIII. p. 89.

Episcopis, et Baronibus regni sui, et de consensu, et voluntate omnium illorum, regnum Poloniae libere resignavit Domino Ludovico Filio Regis Caroli, Filio Sororis suae, eo, quod non haberet filium, et ad hoc confecerunt evidens instrumentum." Nimium hoc in lineam Carolingicam virilem ad Poloniam deducendam Casimiri studium quidam extranei acrius impugnant, quod neglecta sua filia, generoque, imo posthabitis reliquis Familiae Piasticae Principibus pro solo Ludovico se tantopere expectoraverit. a)

§. 40.

Ludovicus I. R. H. Casimiro avunculo suo fert auxilium.

Antiqua Bohemum inter, et Polonum defuncto intermediatore Carolo odia recruduerunt; Joannes Bohemus se per Casimirum tantopere offensum sensit, ut quamvis jam senex, et utroque oculo captus palam diceret: se non prius arma positurum, quam Cracoviae maenia manibus contrectaret. Perplexus Casimirus Ludovicum per Legatos orabat, velit ipsi his in arctis adjunctis rerum succurrere. Mox Ille de successione jam certus ducibus Nicolao Zéchio, et Petro Pohárossy lectissimum militae robur in Poloniam submisit quorum ope ad Criminum in tantas angustias adductus fuerat Bohemus, ut de feliciori successu desperans in sua potius remeaverit. b)

---

a) Gebhardi juxta vers. Hung. T. II. p. 345. — b) Michov. L. IV. Cap. XVIII. et J. Kikülö Chron. Cap. V. p. 96.

§. 41.

Idem Ludovicus tractat eum Polonis causa Russiae rubrae.

Sopitis post longius intervallum Neapolitanis turbis ad avulsas nonnullas Coronae Hungaricae ditiones recipiendas Ludovicus I. suas curas convertit. In talium censum veniebant Russia rubra — Gallicia — et Lodomeria, quarum nomina suis regiis titulis inserta perpetuo gestabat Ludovicus. a) Has tamen Litvani armis infesti in suam fere potestatem redegerunt; ad quos ab injustis occupationibus repellendos manus junxit cum Casimiro, et quidem prospere, nam Ducem ipsorum (1351) interceptum non prius liberum dimisit, quam iis, quae rapuerat, restitutis. Lithvanis ita primo bello edomitis Tartaros Podoliae potissimum perniciosos anno sequenti hostiliter aggressus est per Andream Latzkovits, qui caeso Athalamo eorum duce victor victos insecutus tantam patravit caedem, ut in iis trucidandis militi vires, ferro acies, et arcubus sagittae deessent. b) Interruptum postea bellum (1354) Ipse Ludovicus continuare intendit; sed acceptata per Ducem suapte oblata fidelitate ab hostico in sua redivit. Quia vero in expeditionibus his non postremam onerum partem tulerat Casimirus; hinc Russiam rubram S. Coronae Hung. obnoxiam a Ludovico vita comite gubernandam impetravit, his nihilominus additis: si Casimiro prole ad eum diem carenti Filius haeres nasceretur,

---

a) Pray Annal. P. II. L. II. p. 96. — b) Math. Villanus L. II. C. 72.

Hungari non citius Russiam rubram reciperent, quam numeratis in ejus defensionem per Casimirum erogatis 100,000 aur; si vero Casimiro absque sobole decedenti Ludovicus in Polonia succederet, eadem Russia citra litrum sine mora ad S. Coronae Hung. jurisdictionem rediret. Determinationi huic consensum dedit Ludovicus, in cujus nexu 1370 sine haerede masculo obeunte Casimiro Russia rubra ditionibus Hungaricis reincorporata fuit. a) Russiam hanc Dlugossus nonnisi post tertiam adversus Lithvanos susceptam expeditionem (1377) a Ludovico Polonis ademtam esse asserit. b) Verum illi in Chronologia saepius periculum facienti opponimus Joannem A. Diaconum de Kiküllö, cui s. l. Regis Ludovici secretorum Notario Russiam jam prius Ludovici regnum, ac S. Coronae Hungaricae scribenti c) notiora haec erant, quam Dlugosso ab ea aetate remoto, np. saeculo XV. ad finem vergente nonnisi viventi.

§. 42.

Ludovicus I. R. H. Russiam rubram strictius regno Hungariae incorporat; et ex parte ad normam Hungaricam gubernat.

Russiam rubram multis titulis acquisitam ad jurisdictionem S. Hungaricae Coronae pertinuisse erudite disputavit Cl. Pálma d) gordiumque secuit nodum, cujus filum et nos sequemur. Ne ea, quae

a) Sommersberg T. II. rer. Siles. p. 81. — b) L. X. p. 37. — c) Chron. P. III. Cap. XXIX. p. 104. — d) Abhandlung von Titeln und Wappen 1774.

praecedaneis §§. jam sparsim attigimus, refricemus, hic loci ad regimen dumtaxat Ludovici I. (M.) contemplandum mentem nostram extendemus.

Ludovicus I. Russiam rubram jure armorum, veterum, ac novorum pactorum, ac etiam jure emptionis strictius cum Hungaria conjunxit. Quoties Ille causa provinciae hujus partim per suos Duces, partim personaliter jam contra impertinentes Lithvanos, jam veros Tartaros victricia eduxit arma? Chronica loquuntur. Nec est censendus id causa alterius fecisse post tanto itinere, tantisque impendiis consummatam Neapolitanam expeditionem. Quidquid igitur armis occupavit, aut revindicavit, pro S. Corona occupasse, aut revindicasse censeatur est necesse. Alioquin hoc et pacta cum Avunculo suo Casimiro inita evincunt, quo sine mascula prole mortuo Ludovicus intuitu Russiae rubrae strictius Hungariae incorporandae, quod dudum desiderabat, perquam opportunam occasionem nactus est. Planum Ludovici multum adjuvit Ladislaus Dux Oppoliensis, quem terrae huic vicaria potestate praeesse voluit; Cui Is pro haereditariis quibusdam in Russia rubra ditionibus Comitatum Posoniensem, et Palatini dignitatem in Hungaria (1368) non secus et plura post fata, Casimiri Principis Getinensis Cujaviae dominia tradidit; eodem principio animatus Theodoro Keriatovits pro Cameneco, et adjacente agro Munkátsiensem tractum contulit. a) Atque sic aliorum quoque privatorum Dynastarum iis in terris jura legitima facta permutatione S. Coronae suae asseruit Ludovicus, et

a) Fund. Lit. caenob. Basil. Munkáts.

sic jura Polonorum, ad quos ditio haec radicaliter non pertinebat, minime violavit.

Revindicatam taliter provinciam ipsemet Ludovicus perlustravit, ac repertos hiatus utiliorem sibi non minus, ac Russis gubernationis ad Hungaricam multum accedentis formam inducendo supplevit. A rebus Sacris ordiri placuit, ut olim Divi sui Antecessores, Stephanus n. p. et Ladislaus in Transylvaniam, et Croatiam S. Coronae insertas provincias Albensem, et Zagrabiensem sine mora induxerunt Episcopatus; sic Ludovicus in Urbe Galiciensi Metropolitam fundavit, cui ternos adjunxit Suffraganeos: Premisliensem — Lodomeriensem — et Chelmensem. a) Civile dein animo complexus regimen, toti Russiae Banum (Vajvodam) praestituit, qui politica simul et militaria titulo Capitanei summa cum potestate curaret negotia. Magistratus hic ad instar aliarum Hungariae dignitatum perpetuus non fuit, pluribus egregiis Viris Hungaris hic honos sub Ludovico obtigit. Primus post restitutam finibus Hungaricis Russiam eidem praefuit Petrus de Zudar (Csudár aliis) e Croatiae Bano eo translatus; hunc ex ordine consecuti sunt ejus fratres: Emericus Episcopus Agriensis, ac Georgius: tum vero Emericus Bebek de Pelsoötz, denique Joannes de Kapol (nonnulli Capola, sive Zápolya legunt) filius Benedicti — Qui omnes, ut Joannes A. Diaconus coaevus perhibet: b) „regnum illud bene, ac laudabiliter defensantes sub titulo S. Coronae, et regimine ejusdem

a) Sommers. T. II. p. 113—119. — b) Chron. P. III. Cap XXX. p. 104.

Domini Regis conservaverunt." Ipsi adeo Scriptores Poloni fatentur: Leopolim, Premisliam, Galliciam, Trembowlam, Sznyatin, Jaroslaviam, Grodecum, Olesko, Lopatin, atque Caminecum a. 1377 sub potestate Ludovici Regis Hungariae exstitisse. a) Consensus idmodi veterum utriusque gentis Scriptorum validum pro thesi nostra firmanda praebet argumentum. Unde Cl. Fessler b) recentiores Poloniae Scriptores, quales sunt: Kolutzky, Lengnich, Naruszevicz contrarium fundamento historico destitutos referentes minime esse audiendos declarat.

§. 43.

Ludovicus I. R. H. conscendit Thronum Regni Poloniae.

Jam 1339, ut praemisimus, vi pactorum quoad masculos haeredes Visegradini jus in Coronam Poloniae consecutus est Ludovicus; hoc ipsum 1355 solenni diplomate edito Budae Idem cavit Polonis. Audita nihilominus Avunculi sui morte (1370. 5. Nov. †) in Hungaria perstitit eminus consideraturus: quo tendant Polonorum consilia. Haud multo post Florianus Mokrsko Cracoviensis Ep. et Strelicius regni Cancellarius cum ceteris appulere, qui Eum ad capessendum Poloniae Sceptrum evocarent. Ludovicus initio cunctatus Polonorum votis annuere, Hungariae, ac Poloniae optimatibus Eum ad acceptandum hortantibus reposuit: Hungaros nescire, quid svadeant; Polonos: quid petant? diversis gregibus haud

a) Dlug. L. IV. — b) T. III. p. 428. — et Engel Geschichte von Halisch p. 611.

rite praeponi eundem Pastorem. Victus tamen oratorum precibus in Poloniam concessit, et Cracoviae a Jaroslao Bogora de Skotnicki A. Ep. Gnesnensi (1370 a. 17. Nov.) coronatus est. Persolutis Avunculo suo ibidem Exequiis, visitata Gnesna, relicta pro administranda Polonia Matre Elisabetha Ipse in Hungariam cum clenodiis remeavit. a) Poloni regimen Elisabethae aegrius tulerunt, tum, quod Viris egregiis a Senatu amotis imperitos surrogasset juvenes, tum, quod choreis, lusibus, festivisque concentibus ultra, quam octuagenariam deceret, indulgeret, potissimum vero, quod Hungarorum, quos secum tulerat, licentiam sua conniventia aleret. b) Unde 1376 Cracoviae gravis in Hungaros oboritur tumultus, in quo postquam Kmita Urbis Praefectus confixus Hungarico telo corruisset, cives correptis armis multos ex Hungaris trucidaverunt. Elisabetha suorum cladem dolens reversa est ad filium, qui vindictam propter expeditionem in Lithvanos, ac Belzensem Ducem occeptam differre cogitur. Wladislausquoque Albus, e prosapia Principum Cujaviensium satus ab inquietis e quieto S. Benedicti de Dijon coenobio ad regimen evocatus Ludovico non parvas peperit miserias. Qui tamen a Sendivojo captus clementiam Regis Ludovici implorare debuit, qua obtenta certus de eo: regnum suum non esse de hoc mundo, ad idem coenobium redivit. Quia vero Necrologia Abbatum S. Martini Montis Pannoniae (in Hungaria) quemdam Wladislaum Ablatem 1378 mortuum indicat, identitate nominis deceptum existi-

---

a) Cromer. L. XIII. — b) Gebhard. T. II. p. 379 in Hung.

mat Cl. Fessler Timonem (et qui eum sequuntur duumviros Cl. Pray, et Katona) statuentem: a) eundem extorrem Polonum Uladislaum, qua Abbatem in Hungaria mortem oppetiisse; qui tamen non nisi 1388 in Dijon vivere desiit. b) Turbatis Polonorum animis iterum sedatis per cordatos Rex in Poloniam revocatur praesentia sua malis medelam laturus; qui noxiam sibi Poloniae auram causatus Wladislaum Oppaviensem summa cum potestate eidem paefecit. Proceres hunc sibi praefici dolentes amotionem Ducis importunius postulant. His, novisque querelis concitatus Ludovicus Budae Polonis celebrandum indicit Conventum, ad quem absque exemplo frequentes confluxerunt, in quo Zavissa Epp. Cracoviensi, hujus fratri Dobeslao ejusdem Districtus Castellano, ac Sendivojo summam rerum per absentiam suam commisit. Sed constitutis his vulnera Gentis ligata dumtaxat, non sanata erant.

§. 44.

Ludovicus, qua Rex Poloniae Galliciam, et Lodomeriam ab Hungaria avulsas non tradidit Regno Poloniae.

Ad Thronum Poloniae sublimatum Ludovicum Regem Hungariae plures e recentioribus Poloniae Scriptoribus * opinantur Rússiam, proin Galliciam, Lodomeriamque provincias hactenus Coronae Hungariae subjectas Polonis in complacentiam cessisse;

a) In Epit. Chron. ad a. 1376 p. 52. — b) Praef in Tom. II. Dlug. p. 40. — * Cons. §. 42.

verum crassum hoc commentum nec quidem speciem veri mentitur. Abalienationis enim talismodi deberent statuere testes idoneos, quorum fides inconcussa stet. At vero Polonici illius aetatis Scriptores, quorum quam maxime intererat, hanc juris in Russicas provincias translationem posterorum memoriae consecrare, ne verbulo quidem attentarunt. Silent certe Joannes Chronicae Polonorum Scriptor, et Anonymus Chronicae Principum Poloniae cum eorum gestis, a) utrique autem Ludovico Regi coaetanei fuere; silet et Dlugossus aetati huic proximus. — „Quid amabo, querit Cl. Cornides b) sibi vult pertinax, quod tenent, silentium? Cur de Republica tam ingentibus incrementis a Ludovico Rege aucta verbum non faciunt in aliis longe minoris indaginis rebus ad Patriae suae commodum quoquo demum modo spectantibus longe disertissimi? Quid est, prosequitur idem, quod pro fortunis suis non loquantur? quod jam causae suae indormiant? ecquid eos tam repente elingues reddidit? s. l. nihil habebant, quod dicerent; alioquin rem more suo ornaturi tragice, et rhetorice, ac fortasse vero majora jactaturi, si provincias eas concessisset Ludovicus. Fac rem ita habuisse, an putas in causa tam momentosa deesse potuisse, qui pro testimonio dicant? imo vero nihil quidquam ea abalienatione frequentius habituri fuissent in sermone illorum temporum aequales Historici Poloni. Finge porro esse in eam rem auctorum illius aetatis testimonia, quae tamen nulla sunt, nunquid ea sufficerent, quando de jure provinciarum

a) Ap. Sommers. T. I. — b) In Vindic. Anon. p. 298.

agitur? Quis enim nescit regionum possessionem dari secundum tabulas subsignato solenniter, firmatoque sigillis diplomate transferri? Producant igitur, si possunt, cessionis hujuscemodi tabulas eas Poloni, doceantque: se in Haliciae, Lodomeriaeque possessionem ex edicto Ludovici missos, verum praestabunt hoc ad Calendas Graecas. „Hucusque praelaudatus Anonymi B. N. Vindex quasi argumentum pro vindicanda Coronae Hungaricae Gallicia, et Lodomeria praescriptionis texuit. Cui nos analogum subjicimus: dum Ludovicus ducatns Suidnicensem, et Jaurensem in Silesia cum omnibus eorum appendiciis, dominiis, pertinentiis, nec non omnia jura, quae ipsi regno, seu Coronae Hungaricae in dictis ducatibus quavis ratione competunt, seu valebant competere, Carolo IV. Imp. tamquam Regi Bohemiae, haeredibus etc. in perpetuum dederat; nec non, dum haereditarias suas in regno Bohemiae sitas civitates: Beüten, et Creucenburg cum Vasallis, districtibus, metis etc. Coronae Bohemicae in perpetuum transcripserat, id singulari complexus erat diplomate; a) quod Scriptores ostentant; id indubie facturus erat etiam in cessione evictarum ad Coronam R. Hungariae spectantium Galliciae, et Lodomeriae terrarum, si imaginaria nonnullorum remotiorum Poloniae Scriptorum staret abalienatio; a qua acceptanda nos porro retrahit usque ad dies vitae in diplomatibus causa Hungarorum editis per Ludovicum I. imperturbate usuatus Galliciae, et Lodomeriae Regis

a) Ap. Pray Goldast. in append. fol. 60.

titulus. a) Joannis item de Kikülöw synchroni silentium, qui qua Notarius ejusdem Regis minima quaeque facta sedulo connotavit, et resignationis hujus ne quidem a procul meminit. Et alioquin Praefectos partium harum Hungaros nonnisi post fata Ludovici revocatos fuisse, ut videbimus, fidedigne constat.

§. 45.

Destinatio Ludovici I. R. H. circa Poloniam.

Ludovicus elapso a coronatione sua quadriennio cum nulla amplius suscipiendae masculae prolis spes affulgeret, ad Comitia Polonica oratores misit Ordinibus declaraturos, ut quoniam Ipse Poloniam ab incursionibus Lithvanorum, Tartarorum, aliorumque hostium cum magno sui aerarii dispendio defenderat, nec intertenendo posthac necessario stipendiario militi se parem videret, stata sibi singulis annis deinceps tributa (Poradlne * dicta) penderent; quod si vero id a moribus Gentis suae alienum dicerent, non aliter se a proposito recedere posse iisdem annunciarent, quam si Poloniae regnum jure haereditario ad Filias etiam suas transire paterentur. b) Poloni molestum tributi onus cervicibus suis excussuri, in secundam conditionem postulati consenserunt. Quo obtento Ludovicus sub principio ejus mentis fuit, ut Maria primogenita in Hungaricis, Hed-

a) Pray Annal. L. III. p. 141 et sequ. — * erant 6 lati grossi, item unus modius tritici, ac avenae a singula ungula. — b) Dlug. L. X. p. 21.

viges autem Vilhelmo Austriae Duci desponsata in Polonicis ditionibus sibi substituerentur. Interim procedente tempore comperta Gentis Polonae a Vilhelmo aversione Poloniam cum Monarchia Hungarica indissolubili vinculo copulandi consilium inivit. Hinc sinistram valetudinem adstruens Status Poloniae ad Hungariam Veterosolium (1382) evocavit, ubi expositis suis in Nationem nobilissimam meritis id a Polonis retulit, ut Mariae tamquam designatae Hungariae, ac Poloniae Reginae, ejusdemque Sponso Sigismundo solenne fidelitatis sacramentum nuncupaverint. Dimisso cum exercitu in Poloniam genero non diu superstes mansit Ludovicus, eodem quippe adhuc anno Tyrnaviam delatus (11. Sept.) ab Hungaris vetitis choreis triennio, a Russis vero barba rasa a) deploratus vitam clausit.

§. 46.

Quam evertunt Reginae.

Sigismundum Mariae Sponsum vicaria potestate Poloniae praestitutum fuisse insinuavimus; qui tamen paulo, quum Damarathum a multis sceleribus populo invisum a praegesta Regni Poloniae Praefectura removere nollet, Nationis odium incurrit. Tardius secessionis plures accumulati sunt praetextus; signanter praemetuebant Poloni, ne sub Mariae, vel ejus in Hungaria successorum, ut Ludovicus fecerat, semper inibi residentium regimine pro Comitiis, aut litium in Curia regia terminandarum causa extra suum regnum proficisci cogantur. Classicum cecinit

a) Bonf. Dec. II. L. X. p. 276.

Zemovitus, Massoviae Dux, qui ostentatione armorum plane Coronam prensare audebat. Quo tendant haec molimina subodorarunt quidam pactorum memores Poloniae Proceres; hinc per Oratores (1383) reflexerunt Elisabetham, ut alteram filiarum Hedvigem in Poloniam tempestive transmitteret, ni velit regni subitaneum facere periculum. Regina tempori cedendum rata Cassoviae celebrato conventu a fidelitate Mariae, et Sigismundo jurata Polonos auctoritate sua absolvit, novaque cum ipsis pepigit pacta: ut v. l. Hedviges pro festo S. Martini in Poloniam deducatur eum acceptura Sponsum, quem Illi Natio delegerit; si improlis decesserit, jus Poloniae Maria soror ex asse haberet; eadem praerogativa vicissim Hedvigem, si Maria sine haerede obierit, manente. a) Calculo suo probavit haec Elisabetha, sed iter filiae de die in diem studiose differebat, imo in triennium prorogari postulavit. Exulceravit hac ratione cicatrices Polonorum Regina, qui eidem pathetice nunciaverunt: nisi Hedvigis primo statim tempore Cracoviam veniret, alium Regem lectum iri. Territa mulier in Comitiva Demetrii A. Eppi Strigoniensis, et aliorum spectatorum virorum eandem (1384) a se dimisit. Cui 15. Oct. sequentis anni b) regni Poloniae diadema Cracoviae a Bodzanta A. Ep. Gnesnensi cum magna certatim confluentium laetitia appositum est. Quo actu Hedviges solius Poloniae possessionem apprehendit; Russia enim rubra, et Podolia ceu Monarchiae Hungaricae mem-

a) Dlug. L. XI. — b) Id. p. 95.

bra ad Mariae Hungarorum Regis haereditatem spectabat. a) Eodem tempore domum reinviato Vilhelmo novum cum Jagelone Lithvaniae Duce decretum est matrimonium ex eo, quod Sponsalia priora se inconsultis facta nequaquam obligarent; tum: quod Lithvaniae Ducem subin Uladislaum in S. lavacro vocatum adjuncta vehementer commendarent, ut tandem ex hostibus amici fierent. „Matrimonium hoc, referente Cromero b) tergiversari caepit Hedviges, quoniam Vilhelmo, cujus amore flagrabat, jam per Patrem se desponsatam, eodemque lecto parvulam cum parvulo se cubuisse asseverabat.“ Similia efutire de Hedvige non puduit Dlugossum e sola vulgi traditione congesta: c) „Fama insuper, et plurimorum assertione proditum est — Hedwigis — frequenter cum militibus, Virginibusque suis ad coenobium S. Francisci Cracoviae situm ex castro faciens descensum, in ejusdem coenobii refectorio cum Vilhelmo Austriae Duce chorearum solatiis, parco tamen, et castigato, atque honestissimo mederamine utebatur. — — Exclusionem Vilhelmi ex castro moleste ferens, in civitatem ad illum facere parabat descensum, cumque portas castri Baronum cura, et mandato clausas offendisset, violare illas, petita, dataque securi manu propria nitebatur. Demetrii tandem militis de Goray precibus expugnata, caeptum omisit. — — Ferunt et Hedvigem — ne suo jungeretur connubio (Jagjel) diutius obluctatam — — neque enim a plurimorum notitia sciebat ignoratum,

---

a) Pálma T. II. p. 142. — b) L. XV. d. p. 259. — c) Dlugos. L. X. p. 102 et 105.

quod cum praefato Vilhelmo — post contracta de praesenti sponsalia 15 diebus in thoro, carnali copula etiam subsecuta, manserat." Labem hanc Hedvigi inustam detersit jam ex parte Criticus Schlözer. a) Ipse Dlugossus alio in loco sic de eadem fatur: „Haec sententia — Hedvigis Reginae, foeminae jam tunc devotae, et religiosissimae, fastidium solo Fidei Christianae respectu temperavit." Dicta haec apologiam pro Hedvige redoleant, quae tandem relatis per Zavisium novi Sponsi formae quidem mediocris, vultus tamen hilaris insignibus dotibus consensum suum manifestavit. Atque sic Ludovici destinatio circa copulandam in perpetuum cum Hungaria Poloniam Sigismundi juvenili impetu, et Elisabethae feminea imbecillitute eversa evanuit.

§. 47.

Mortua Maria Poloni Sigismundo R. H. molestias causant.

Maria exacto cum Sigismundo decennio vivere desiit, quod Dlugossus his verbis retulit: b) „Die Lunae XVII Maji Maria Hungariae Regina Sigismundi consors, et germana soror Hedvigis Poloniae Reginae Budae moritur anno 1395." Cl. Pray c) huic anno subscribere veretur, quum sit contra omnes Scriptores, et diplomata Sigismundi Regis. Nos cum plerisque 1393 Mariae mortis annum defigimus, cum jam anno immediate sequenti, ut mox narrabimus, Wladislaus Sigismundo molestus esse perexe-

a) Geschichte von Lithvanen p. 84. — b) L. X. col. 147. — c) Annal. P. II. L. III. p. 191.

rit, quod vix aliter, ni supposita Mariae morte, evenire potuit. Hac nimirum audita Uladislaus Poloniae Rex in nexu pactorum Polonos inter, ac Hungaros Cassoviae (1383) initorum credebat Coronam Hungariae ad Hedvigem conjugem suam esse devolutam, proin armatus Hungariam ingredi statuit plenus spe sibi omnia ibidem ad vota cessura. Verum Joannes de Kanisa A. Ep. Strigoniensis Rege, et Palatino absentibus de apparatu Jagellonis certus redditus contractas celeriter copias ad confinia disponit, Polonosque ab ingressu prohibuit. Redit interea Sigismundus, qui de Polonorum maxima edoctus, liti finem imponere in persona cupivit. Idcirco Uladislao affine jam eo tum apud Lithvanos agente Sandecium ad Hedvigem (1394) divertit, Reginamque adusque sterili thoro utentem eo flexit, ut Ipsa suo in Hungariam juri renunciaret, et se legitimum Hungariae Dominum, u. p. Ludovici voluntate, et liberis Nationis votis electum agnosceret. Sigismundus vicissim suo in Poloniam jure se abdicavit, suumque interposuit vadimonium: se in casum secuturae sine prole mortis Reginae Uladislao nullos prorsus obices positurum. a) Oravit vice hac una Reginam, ut adhibitis mulieribus propriis machinis eo suum reducem flectat Virum, ut Is quoque praesentia pacta probaret. Expugnatus effective Uladislaus exercitum suum a limitibus Hungariae protinus removit; Russicas tamen clientelares Hungariae terras arrodere minus abhorruit, saepius eorsum cum militia excurrit, ac ejates Dinastas ad praestandum sibi

a) Mart. Cromer. L. XV. p. 249.

qua Regi Poloniae fidelitatis sacramentum terrore compulit. Ut alias silentio premamus rapinas Vithaudo fratri suo Caminecum cum amplissimis ditionibus feudi instar Polonici possidendum solenni diplomate (1394) contulit. Atque hoc erat initium docet Cl. Pálma, a) amittendae Russiae, et Podoliae, Sigismundo, ne Uladislaum sibi hostem redderet, eam jacturam parvi pendente.

§. 48.

Ultro procedunt Poloni.

Wladislaum Jagellonem Russiae rubrae, ac Podoliae potenter inhiasse exposuimus, utque suam satiaret cupiditatem omnem quaerebat occasionem. Optimam subministrarunt eidem ipsi a Rege dissidentes Hungari; quare praememoratas provincias occupavit speciosum istum praetexens titulum: quod eas quondam Casimirus gubernaverit, quem tamen vita solum comite, idque bona Ludovici venia consecutum fuisse, idem e mutua duos inter Reges conventione nosse debuisset. Accessit ad exasperandos utrinque animos 1399 mors Hedvigis improlis interveniens; item Alexandri Moldaviae Vajvodae ad Uladislaum defectio. Sigismundus sedatis domi procellis, missis in Poloniam Legatis ea, quae per vim rapta sunt, repetiit. (1409) In vanum tamen reciderunt illius conamina; Poloni enim Legatis ultro concesserunt: provincias has fuisse juris Hungarici factas, sed Polonicam quoque Coronam aliquid aliquando in easdem juris habuisse potentius urserant. Itaque lites pro-

---

a) T. II. p. 171.

tracturi in id unum se consensuros sunt polliciti, ut arbitri juris periti utraque ex Gente legerentur, qui expensis partis utriusque momentis litem ex aequo dirimerent. Provide id a Polonis constitutum fuisse, observat Cl. Pálma, a) quod certi erant nullo unquam tempore delectos eos Judices in unam coalituros sententiam, sicque lite nunquam decisa se in raptarum ditionum possessione perseveraturos. Haec nos e patriis delibavimus Scriptoribus, e quorum sensu provincias has a Corona Hungariae nonnisi post mortem utriusque Reginae avulsas fuisse tenemus. Cl. autem Fessler b) post Dlugossum id citius (1390) evenisse sic narrat: Uladislao in Lithvania morante Sigismundum R. H. ad froenandum Stephanum Muschat Moldaviae Vajvodam ad Polonos deficientem e Banatu Temesiensi cum exercitu movisse; quo intellecto Hedviges Amazones imitatura in absentia Mariti Polonicas copias regundas suscipit, quibus stipata Galliciam ingressa Emericum Bebek de Pelseötz Generalem ditionis hujus Capitaneum cum ceteris praesidiariis Hungaris, atque Silesitis fusum ex hinc ejecit, ac extemplo Leopolim, Zydaczew, Przemysl, Jaroslav, Grodek, Halitsch, et Terebowl suae dominationi subjecit. Et ab hoc momento Gallicia per 382 annos in manibus Polonorum perstitit. Cujus sententiam in tempore tantum a nostra differentem dum videmus, sequentem interponimus cautelam.

---

a) Not. R. H. T. II. p. 191. — b) T. IV. L. IV. p. 87. Dlug. L. X. p. 126.

§. 49.

Jure tamen suo Corona Hungariae in terras has non excidit.

Sub Uladislao Jagellone Russiam, ac Podoliam fiduciarias Hungariae terras a Polonis per vim occupatas esse in enarratis vidimus; imo Poloniae Scriptoribus ultro admittimus eo processisse Uladislaum, ut abolita in vi avulsis a Corona Hungariae provinciis Hungarica gubernationis forma Polonicam introduxerit; quidquod, ut vel memoria dominatus Hungarici inibi aboleretur; easdem in novos Palatinatus divisas, ipsos plane limites, qui regna haec a Polonis secernebant, confusos fuisse; nunquam tamen admittemus per violentam ejusmodi occupationem ipso jure S. Coronam Hungariae excidisse, quod Ei quaestionatarum provinciarum Principes spontanea oblatione tribuerunt; quodve Hungari tam diu fuso etiam sanguine egregie tuiti sunt. Nec potest dici: Sigismundum R. H. ad salvandam pro se Hungariam jure in praefatas ditiones se suapte abdicasse. Nam quem admodum nec Hungaria; ita nec partes ad eam pertinentes, aut jure clientelari huic obnoxiae erant Sigismundi patrimonium, commendatione Magni sui Soceri (Ludovici) et voluntate Nationis Monarchiam Hungaricam regendam accepit; proinde cum partibus ejusdem pro suo arbitrio sine consensu Nationis agere nequivit. Hinc nobis etiam tacentibus fluit: cum necessarium ad id Nationis consensum nuspiam datum legamus, nec ipsum Sigismundum in abdicationem juris S. Coronae in Russicias terras consentire potuisse. Sed nec eum

intendisse facta Ejusdem subsequa docent; praeterquam enim, quod nulla abdicationis idmodi publica supersint documenta, id adhuc pro retento per Sigismundum in provincias has jure militat, quod et in posterioribus, et quid plus in gratiam Nationis Polonicae editis diplomatibus Galliciae, et Lodomeriae Regis titulum constanter retinuerit. Sic tabulas pacis cum Corivali suo initae ita orditur: a) „Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Dalm. Croat. Ram. Serv. Galliciae, Lodomeriae, Cuman. Bulg. Rex. Datum Liblio an. Dom. 1412. 15. die Martii." Pari titulo utitur Sigismundus etiam in singulari illo diplomate; quo oppida Scepusii Polonis in pignus locaret, de quo inferius sermo recurret. Relinquendo itaque Russicas has provincias in manibus Uladislai, necessitati politica prudentia cessit sperans rediturum post nubila Phoebum. Qui v. p. domestico malo divexatus sufficientes ad eripiendam Polonis praedam vires pro tunc non habuit, tardius autem in bellis plerumque infelix diuturnisque per universam Europam confectis itineribus aerarium publicum ad fundum usque exhausit.

§. 50.

Sigismundus causa Cruciferorum Polonis gravis evadit.

Dum Sigismundus R. H. in maximis cum Wladislao IV. P. R. zizigiis versaretur; eo tum qua

a) Vagner Analec. Scep. P. I. p. 7.

Rex Romanorum delectus est (1410) arbiter pro componendis veteranis inter Ordinem Cruciferorum, ac Polonos intercedentibus inimicitiis. Permolestam hanc assumens provinciam vadit Késmarkinum, quo Uladislaus Sandecii subsistens fratrem suum Alexandrum nomine suo acturum misit. Longinus narrat: a) Sigismundum in conventu hoc Cruciferis se longe faventiorem, quam Polonis exhibuisse, quibus up. in casum continuandi cum Uladislao belli plane auxilia se daturum spopondit, quae reipsa profligatis ad Marienburgum Crucifecis Duce Stiborio Transylvaniae Vajvoda submisit. Auxiliares hi cum Polonis ad Bardioviam acre conserunt proelium, in quo tametsi Stiborius primum victoriam prope teneret, ad extremum tamen, quod militem praedae magis, quam pugnae, gloriaeque avidum sub signis habuerit, in apertam fugam conjectus est. Fugae hujus causam ipsi Poloni Scriptores haud obscure in Bohemos, Moravos, et Austrios, e quibus fere exercitus Vajvodae conflatus est, rejiciunt. Verum expeditio haec effectuum erat feracissima; Uladislaus enim de his, quae Sigismundus causa Crucigerorum egit, edoctus pactis cum Ordinis Magistro induciis copias suas ad limites Hungariae traducit. Trepidabat ad haec Sigismundus a suis parum jam tum amatus, quare ad pacem cum Uladislao finaliter sanciendam animum adjecit, vel maxime ideo, quod eundem per Venetos ad secum praeliandum subarmari compererit.

---

a) Cap. XIX.

§. 51.

Inter Sigismundum, et Uladislaum pax stabilitur.

Anteqam hostilem Uladislai animum Sigismundus placando fuisset, multa discutienda utrinque erant. Non tam velitationes gratia Cruciferorum attentatae Polonorum exacerbabant animos, quam tranquillanda Russicarum partium nuper vi ademtarum possessio eorum attentionem excitabat. Hunc in finem 1411 celebratus fuit in Scepusio Conventus, Cui summi Viri interfuere: Joannes de Kanisa A. Eppus Strigoniensis, Joannes Jaurinensis, Nicolaus de Gara Palatinus, supra memoratus Stiborius, Simon de Rozgony Judex Curiae, Nicolaus de Marczaly, Joannes Bebek de Pelsötz Tavernicus, Joannes de Maróth, et Petrus de Perény; verum hi praeter procuratas usque decisionem litis inter utramque Nationem circa Russicas terras suscitatae duraturas, atque 31. Martii Igloviae signatas inducias, praestiterunt aliud nihil. a) Elapso Semestri rursus convenerunt Schramovitzii (in Gallicia) Arbitri. Ast renovatis 19. Novembris nupernis induciis litem tantum anno afuturo sub incudem venturam determinarunt. Sigismundus tantae protelationis in re tantae indaginis impatiens remotis Arbitris solus cum solo Uladislao convenire statuit. Praemisit eapropter in Poloniam Brandam Cardinalem a S. Clemente, et Stiborium Transylvanum. Data sunt his mandata, ut captata Regis, ac Procerum benevolentia supe-

a) Vagner Analec. Scep P. I. p. I.

riorum annorum injurias attenuarent, necessitate, non odio, si quid adversus Uladislaum factum fuisset, contenderent. Eadem occasione Sigismundus per literas orabat Annam Uladislao nuptam Barbarae suae secundae consortis sororem, ut Virum femineis artibus emollitum expugnaret, faceretque, ne se in conficendo foedere duriorem praebeat. Sigismundus inaudito eo, Legatis imperata quaeque jam effectuata esse, cum Barbara, ac multis circumdatus Proceribus, versus Poloniam iter suscipit, ante Calendas Martias Kesmarkini (1412) adfuit. Uladislaus Sandecium jam prior advenerat, quem Sigismundus missa ad Eum conjuge cum Primoribus Honoris causa salutari imperavit, obtestarique, ut parte ex utraque delegati pangendis foederibus initium facerent. Quos cum oppido morosiores comperisset, Sigismundus clam Sandecium profectus facile de foederis conditionibus transegit. Haec Dlugossus. a) Addit Longinus eo maxime artificio Polonum ab Hungaro ad ineundam pacem adductum fuisse, quod hic causa Cruciferorum se deinceps nihil acturum polliceretur. Cl. Fessler b) Analecta Scepusii secutus tradit Uladislaum ad Arcem Lublau comparuisse, ibique 15a Martii pacem conclusam esse. Cum autem dissensionum maximum semper fomentum exstiterint Russia rubra, et Podolia provinciae, circa has ibidem ita conventum est, ut donec utriusque Gentis Arbitri sua jura discusserint, Poloni in quieta utriusque regni possessione maneant; lis autem nonnisi post elapsum ab

---

a) L. XI. — b) T. IV. p. 227.

obitu utriusque Regis lustrum suscitari valeat. a) Eadem occasione de Moldavia quoque nullo certe jure ad Polonos pertinente bifariam ex aequo in casum committendae per ejatem Vajvodam in alterutrum perfidiae partienda coalitum est. b) Erecta praeterea sunt bina Tribunalia, Sandecii pro Hungaris, Leutsoviae pro Polonis indemnisandis, in quorum primo Sandecensis, et Voyniczensis Castellani, Judex item, et Sub-Camerarius Cracoviensis; in altero vero II. CC. Sárosiensis — Scepusiensis — Abaujváriensis — et Zempleniensis Supremi Comites violentiam passis justitiam administrarent. Conventioni huic praeter Primatem Regni Joannem Kanisa e parte Hungarorum 5 Episcopi, 12 Barones Regis, 3 Reginae, 30 alii Magnates, insimul 50—e parte Polonorum vero 3 Principes de sanguine Regis, 2 Praesules, totidem Palatini, 3 Coronae Officiales, 8 Castellani, 32 possessionati Nobiles interposita cautione subscripsere. Quibus consideratis Nationi Hungarae viam juris postliminio resumendam relictam esse, quisquis videt.

§. 52.

Uladislaus R. P. venit in Ungariam.

Promulgata inter duas Nationes, ut recensuimus, transactione ambo Regum publico ritu se salutaverunt, ac redintegrata amicitia Uladislaus cum Sigismundo primo Cassoviam, unde studio apparatae venationis deliciis fruitus ad interiora Hungariae invisenda se facile resolvit; Anna vero cum praecipu-

a) Vagner T. I. p. 7. et sequ. — b) Id ibid.

is regni sui Optimatibus curam Reipublicae pro absente Marito gestura in Poloniam remeavit. Hanc dum Sigismundus ad aliquot stadia honoris causa comitaretur, Longinus memorat, equo deciduum tam graviter humi afflictum fuisse, ut Proceres de vita Ejus desperantes jam de Uladislao in Regem Hungariae creando cogitarent. Ceterum suspectum hic putat esse Scriptorem hunc Cl. Pray; a) cum jam tunc sponsionem inter Elisabetham Sigismundi filiam, et Albertum Austriacum intercessisse constiterit Regno. Interim valetudini restituto Sigismundo coeptum continuant iter, primis castris Tokainum ventum est; inde trajecto Tibisco Debrecinum appulerunt. Hinc Sigismundus Varadinum eques praeierat, Uladislaus autem pietatis ergo, qua in Divi Ladislai exuvias ferebatur, pedes ibat. Tandem magnis itineribus Agriam, ac denique Budam Regni metropolim incolumes attigerunt. Hic jam multo tempore finitimi Principes honoris causa utrumque Monarcham praestolabantur, ut adeo Aula Regis Hungariae Principum totius fere Europae tempestate ea evaserit domicilium. b) Praemium itineris hujus longe optatissimum retulit Uladislaus. Ludovicus n. p. (1370) persoluta sua Cracoviae inauguratione, vetus regni Poloniae diadema Budam secum deportarat; Elisabetha autem Regina, ut Polonos in obsequio suo contineret, etiam tunc, dum Hedvigem ad capessendum Poloniae regnum dimisit, Polonis immanuare detrectavit; verum hi non magnam pignoris hujus habuere rationem, cujus rehabendi spe cum excidis-

a) Annal. P. II. L. IV. p. 235. — b) Vindeck. C. XXVII.

sent, nulli sibi religioni duxerunt et Hedvigem, et Uladislaum nova Corona redimire. Sigismundus itaque pignus hoc in Patriam reducendum suo nunc Hospiti Uladislao resignavit. Gratum hoc sibi esse testatus est Acceptans per id, quod ejus allatori Andreae Rozen de Roznow duas possessiones, ac 100 marcas latorum grossorum donaverit. a)

§. 53.

Sigismundus R. H. oppida Scepusii oppignorat Polonis.

Sub Sigismundo R. H. XVI. Scepusii oppida ad manus Polonorum devenisse, oppido notum habetur: Rex nimirum hic minus aequus per totam vitam pecuniae custos fastu Venetorum Legati offensus, bellum iis inferre meditabatur, ad quod feliciter consummandum 37,000 sexagenarum latorum grossorum Pragensium novae monetae a Polonis mutuo petiit. Summam hanc varii vario modo ad currentem pecuniam reducere tentant; Cl. Fessler 155,400 aur. hung. nec plus, nec minus calculo Cl. Schönvisner b) insistens statuit. Cl. vero Katona c) cum Cl. Dobner medium tenere visus aestimando novae monetae sexagenam finis. C. M. 20, reducit ad fl. c. m. 740,000. Quae non aliter ab Uladislo potuit impetrare, quam pignori datis Lublovia cum arce, Podolino, et aliis XIII. Scepusii oppidis tamdiu in Polonorum dominio mansuris, quo ad aes illud, seu in auro, seu in argento integre restitutum fuerit, antequam tamen re-

a) Dlug. L. XI. p. 327—331. — b) Not. rei Num. p. 323. — c) T. II. p. 210.

luitio haec instituatur Cassoviensis, et Leutsoviensis Civitatum Consules teneantur hoc ipsum Lubloviae insinuare, et tum elapsis duobus mensibus levatam summam in sua nitegritate ad Castrum Dunajecz deferre. Consensit in arduas pignoris conditiones inops Sigismundus, cujus tabulae 8 Novemb. 1412 Zagrabiae nominibus 2 Praelatorum, et 12 Baronum Regni roboratae sunt. Cl. Pray easdem e Codice M. S. Juris civilis Bibl. Aug. Vindob. per Stephanum Ilosva Praepositum, ac Vicarium Ecclesiae Agriensis 1544 descripto excerpsit; Nos etiam hic a Polonis omissas, ut in Analectis Scepusii deprehendimus a) fideliter, ut ad plurium notitiam perveniant, inserimus.

„Nos Sigismundus Dei Gratia Romanorum, Hungariae etc. Rex recognoscimus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis ratione veri mutui Nos a Serenissimo Principe Domino Wladislao Rege Poloniae, Ejus Praelatis, et Baronibus triginta septem millia sexagenarum latorum grossorum novae monetae, numeri Bohemicalis boni, et justi ponderis, habuisse, et cum effectu recepisse. Quem quidem Dom. Wladislaum Regem Poloniae, successoresque, Praelatos, et Barones ipsius in restitutione, earumdem pecuniarum, assecurare Eum cupientes, et prout justum est, in solutione ipsum reddere volentes certiorem, sibi, et Ejus successoribus, Praelatis, et Baronibus terras, v. l. Castrum nostrum Lublo, alias Lublav, cum oppido, et oppidum Podolintz cum fortalitio, ac villis ad ea perti-

a) Vagner T. I. p. 212.

nentibus, nec non oppidis, et civitatibus infrascriptis in terra nostra Scepusiensi Dioecesis Strigoniensis situatis v. l. Gnizna — Bela — Leubitz — Menhardsdorf — Valendorf — Neudorf — Rysdorf — Fülka — Kirchdorf — Matsdorf — Dureldsdorf nuncupatis cum eorum omnibus attinentiis, pertinentiis, censibus, fructibus, redditibus, proventibus, jurisdictionibus, temporalibus possessionibus, agris, pratis, lignis, piscaturis, piscinis, campis, sylvis, nemoribus, mellificiis, lacubus, paludibus, aquis, et aquarum decursibus, molendinis, et emolumentis, quercetis, pinetis virgultis, gays * miriciis ** aucupationibus, venationibus, exactionibus ordinariis, obventionibus, attinentiis, et appertinentiis universis quibuscumque nominibus nuncupentur, aut vocentur, nihil possessionis, aut utilitatis pro Nobis, aut Successoribus nostris in eisdem reservantes, obligamus, ac in vadium *** posuimus tenore praesentium ex voluntate Praelatorum, et Baronum nostrorum ad hoc specialiter accedente. Ita, quod omnibus utilitatibus, et proventibus hic descriptis sine alicujus usurae scrupulo Idem D. Wladislaus Rex Poloniae, suique successores uti, frui valeant, et gaudere, cui etiam omnes incolae, et cives civitatum, et villarum praedictarum tamquam Nobis obedire, et de singulis censibus, proventibus, et obventionibus interim quoad ab Ipso, vel ab eorum aliquo redimemus terras, castra, et oppida, civitates, et villas easdem praedictus D. Wladislaus Rex Poloniae, Successoresque,

---

*) antiquis German. „regio.“ — **) locus incultus. — ***) vadimonium, pignus.

Praelati, et Barones Ejus possidebunt, et tenebunt, et habebunt tamdiu, quousque Sibi, aut ejus Successoribus, Praelatis, et Baronibus per Nos, aut Successores nostros, praedicta 37 millia sexagenarum latorum grossorum, Bohemicalis monetae, boni, et justi ponderis, aut valoris earumdem in auro, et argento fuerint efficaciter persoluta. Promittimus insuper bona fide, et in verbo nostro regio terras easdem, et civitates, et villas ab omnibus injuriis, et impugnationibus quorumcumque extraneorum, ac si eas per Nos possideremus, quamdiu Idem Dominus Wladislaus Rex Poloniae, et Successores Ipsius servaverint, defendere, et tueri; illo etiam non omisso, quod si aliquis de Regno nostro Hungariae easdem terras, castra, civitates, oppida, et villas sub eodem D. Wladislao Rege Poloniae, successoribus, Praelatis, et Baronibus recuperaverit, aut acquisiverit, ipsas sine dolo, ac fraude reaquirere, et ipsas etiam restituere tenebimur, et debebimus. In casu autem, quo ipsas aquirere non possemus, ex tunc sibi, et successoribus, Praelatis, et Baronibus ipsius, praedicta 37 millia sexagenarum reddere, et solvere promittimus bona fide; vel hujusmodi bona, aut alia consimilia, et ejusdem valoris sibi, et suis successoribus in eisdem obligare. Si autem hoc facere non curaremus, aut neglexerimus, ex tunc ad omnia damna, quae ex incompletione promissorum nostrorum, et votorum in praesenti litera expressorum praedictus D. Wladislaus Rex, Successores, Praelati, et Barones, ac regnum ipsius perceperint, Nos una cum Praelatis, et Baronibus resarcienda, et refundenda promittimus, pro quibus Regni Nostri

homines cujuscumque conditionis, dignitatis, et praeeminentiae fuerint, et bona ipsorum arestare, captivare, terrasque Nostras invadere, et spoliare, libere idem D. Wladislaus Rex, Successores, Praelati, et Barones, ac Regnum Ipsius valeant, absque omni resistentia, et contradictione Nostra, et Nostrorum, quousque sibi, Successoribus, Praelatis, et Baronibus, ac regno suo per Nos, aut nostros Successores, Praelatos, Barones, omnibus in praemissis fuerit integre satisfactum. Dum autem praedictas terras, civitates, oppida, et villas ab eodem D. Wladislao Rege Poloniae, Successoribus, Praelatis, et Baronibis ipsius redimere, et liberare voluerimus, extunc literam Nostram sub ipsius sigillo Majestatis Nostrae pendenti, ad eundem D. Uladislaum Regem Poloniae, vel ejus Successores, Praelatos, et Barones regni ejus scriptam demus per notabiles duos Consules, unum v. l. de Lewczew, et alium de Cassovia ipsis in Lublaw dirigere, et eam sibi facere praesentari ad significandum intimare, quod ipsas terras, castra, et civitates, oppida, et villas infra duos menses continuos volumus de eodem D. Wladislao Rege, vel ejus Successoribus, Praelatis, et Baronibus liberare; si autem Nos decedere contingeret, tunc duo Praelati, et totidem Barones Majores Regni nostri Hungariae, sigillis eorum pendentibus in hoc casu facere debebunt, et tunc a die insinuationis, et assignationis literarum hujusmodi 37 millia sexagenarum latorum grossorum boni, et justi ponderis in auro puro, et argenro infra eosdem duos menses ad castrum Dunavecz duci debebunt, et ibidem per hominem dicti Wladislai Regis Poloniae.

Successorum, Praelatorum, et Baronum Ejus, quos ad id duxerint deputandos numerari, et numerata sub salvo, securo, et sufficienti conductu Nostri, Successorum, Praelatorum, et Baronum nostrorum in castrum Czorstein importari, et adduci. Interim autem in castro Dunavecz praedicto quatuor potiores Poloniae de terra Cracoviensi, et Sandecensi, vel alter eorum, quos, vel quem Rex Hungariae, vel Barones ipsius Regni tunc nominaverint, vel delegerint, v. l. die insinuationis, pro persolvendis pecuniis, et redemtione pignoris praedictorum facienda permaneant, sive persistant; ita tamen, quod praesentes eligantur in regno Poloniae ubique existentes, non impediti, illo non obstante alii loco impeditorum transmittantur, et per ipsum Wladislaum, Successores, Praelatos, et Barones praedictos in obstagium * eodem in castro Dunavecz reponatur, nec abinde recedere debeant, donec castrum praedictum Lublaw, nec non aliae civitates, et oppida praedicta Nobis, et successoribus nostris, sive Praelatis, et Baronibus integre fuerint restituta, nulla etiam deceptione, excusatione, contradictione, vel occasione obsistente harum, quibus Nostrum, et Praelatorum Nostrorum sigilla sunt appensa testimonio literarum mediante. — Et Nos Joannes A. Epp. Strigoniensis, Joannes Eppus Jaurinensis, Nicolaus de Gara R. Hungariae Palatinus, Simon Comes de Rozgony Judex Curiae Regiae, Joannes de Pelsovitz M. Tavernicorum Regalium, Ladislaus de Ujlak Banus Machov. Petrus de Perény C. Ujvár. Emericus de

*) h. e. obses.

Peŕeny Secretarius, et Cancellarius Regiae Majestatis, Mathaeus Palótz C. Borsodiensis, Lad. de Pelsovitz Filius quondam Emerici Vajvodae, Joannes de Boczena * Benedictus Zudar de Makovitz Praelati, et Barones regni Hungariae promittimus bona fide pro Nobis, et nostris Successoribus omnia praedicta per D. Nostrum Regem de voluntate, et beneplacito Nostro facta et disposita, ac promissa inviolabiliter servare. In quorum omnium fidem, et testimonium una cum sigillo Dom. Nostri Regis Sigilla nostra sunt appensa. Datum Zagabriae 8a die OO. SS. anno Domini 1412. Regnorum autem nostrorum Hung. 26. Romanorum vero III." — Vi hujus pignoratitii, et nunquam, ut videre est, perennalem Fassionem redolentis Contractus XVI. Scepusii opida ad alienas manus (Polonorum) devenerunt, quae ut Cl. Fessler a) ingemiscit, ob malam quorumdam Regum Hungariae oeconomiam, ob pertinaciter negatam ad aram Patriae Magnatum opem, ob versutum regiminis Polonici omnem desuper tractatum dextre eludere gnari agendi modum nonnisi post 360 annos per M. Theresiam revecta alma pace 1772, ut videbimus, avito solo postliminio reddi potuerunt!

§. 54.

Idem vult eadem redimere.

Pluribus in locis distincto tempore convenisse Hungaros cum Polonis, imo ipsos utriusque Natio-

---

*) alias de Bohemia, qui et Vajdafy de Léva dictus, ultimus surculus Joannes 1553 † — a) T. IV. p. 237.

nis Reges in vivis adhuc existente Sigismundo Annales Hungariae promunt. a) Nimii essemus, si Conventuum horum partim negotio Bohemorum, partim causa Cruciferum, aut Lithvanorum celebratorum acta telae, quam orsi sumus, intexeremus. Unum est, quod adhuc de Sigismundo hic loci referrendi praefixus scopus nobis imponit necessitatem. Inclinari videns nimirum Sigismundus suam vitam vulnera Nationis Hungariae ob amissas plures S. Coronae partes sanaturus, adminus oppida Scepusii Polonis pignoris loco data redimere decrevit. Hunc in finem Jagellonis (1434) decedentis Filium Wladislaum V. rerum apud Polonos potientem per literas interpellavit, in quarum nexu mutua consensione coalitum est: ut utriusque Regni Proceres ad hunc actum deputati Kesmarkini convenirent, ibique de rehabendo Scepusio meritorie agerent. Venerunt e parte Polonorum cum Zbigneo Cracoviensi Eppo ingens Optimatum multitudo; Sigismundus pariter misit eo Georgium de Palótz, A. Ep. Strigoniensem, et hujus germanum Mathaeum Regni sui Palatinum, tum Joannem, et Stephanum Perényi, ac alios primi subsellii viros. Magno cum aestu utrinque assumptum est negotium; Hungari tamen ad extremum optato frustrati sunt effectu. Hi etenim, si Scriptoribus Polonis sua hic relinquenda est fides, oppignoratas Scepusii partes sine omni depensi auri summa sibi reddi urgebant; isti vero ad 37 millia in diplomate clare expressa 13 insuper millia, incertum ob quam causam praetendebant. Neutri stante sua veritate

a) Pray P. II. L. V. pp. 284—286—295—297—299.

conventus solutus est. a) Tristem aerarii sub Sigismundo Hung. Rege statum considerantes ad primum concedendum proniores sumus.

§. 56.

Uladislaus V. R. Poloniae in Regem Hungariae evocatur.

Vivo adhuc, sed jam aegrotante Sigismundo Barbara secunda ejusdem consors ausa est Wladislaum Jagellonis Poloniae Regis Filium adolescentem ad ineundum secum post fata Mariti matrimonium per Nuncios, ac literas sollicitare; ob quod perfidiae crimen conditis ultimae voluntatis suae tabulis cavit Sigismundus, ne unquam e custodia dimitteretur. b) Interim Albertus Sceptro Hungarico potitus, quam molimina ejus detestaretur, Socrui suae libertati restitutae penes dotalitias arces insuper 12,000 aureorum annuum pensum assignavit. Insigni huic humanitati turpiter respondit infelix mulier; nam paulo Uladislaum ad inferendum Genero suo bellum concitabat. Hinc omnibus in Hungaria exuta bonis primum in Poloniam recedens, inde ad Bohemos profuga ludibrium fortunae humanae facta (1451) decessit. Albertus autem bellorum procellis agitatus contracto morbo (28. Oct. 1439) relicta praegnante uxore Elisabetha exstinctus est. c) Relicta Vidua in unum coactis Regni Statibus his suam declaravit imbecillitatem: d) „Domini, et Fratres! ipsa sum, ut

---

a) Dlug. L. XII. — b) Vindek. Cap. LXXXVII. — c) Aeneas Sylvius (dein Pius II. R. P.) epis. 81. — d) Thúróczy P. IV. Cap. XXVIII.

nostis regni haeres, ad dirigendas regni habenas meam minime sufficere arbitror virtutem — Quaerite igitur vobis Principem, qui — magis idonens sit." Hoc ipsum sensit Natio, cujus nomine spectatus Vir Joannes Hunyady Virum, qui sciat, quantum ponderet Sceptum, et quantum appendat gladius, qui laboriosus sit in regenda, et intrepidus in defendenda Republica, expostulavit. Pondus addidit Amurathes Turcarum Sultanus, qui vires suas ad occupandam Hungariam conversurus pro certo nunciabatur. Facta deliberatione plurimorum suffragiis pro idoneo Reginae Marito, et regni socio lectus est adolescens annos undeviginti natus Uladislaus, cujus nuptias perdite ambivisse Barbaram memoravimus. Expetito ad haec Dionysii Széczy plurimum apud Elisabetham valentis recenter nominati A. E. Strigoniensis voto, stabilito eo, ut dotale Regnum cum Elisabetha Wladislao offeratur, quae si edito partu puerum haberet, hic Austriae, et Bohemiae praeficiatur, nascituri autem e novo connubio Filii Hungaria potiantur. His constitutis Deputatos in Poloniam designare placuit: Mathaeum de Thalotz Dalmatiae, Croatiae, et Schlavoniae Banum, Joannem de Perény, Ladislaum de Palótz Curiae regalis, ac Emericum Dapiferorum Magistros. Splendidae hujus Legationis Oratorem egit Joannes Episcopus Segniensis, qui inter cetera Wladislaum his affatus est verbis: a)" Si vicinitas, et rerum variae occasiones, ac tempora non conjunxisset Regnum nóstrum cum tuo multis foederibus, officiisque mutuis: Virtus ta-

a) Phil. Callimachus de reb. ab Ulad. etc. L. I. p. 293.

men, et felicitas Tua Rex Inclyte! nobis dignissima visa foret, quae dubiis rebus nostris imploraretur — item: „Conjuncta est utriusque Gentis (Hungarae, et Polonicae) fortuna, et prospera omnia utriusque semper fuisse animadvertimus, nisi quom (quum) mala quaepiam ratio consila, et res alterius ab altera separavit.“ Quae posteriora Oratoris verba mutuum Nationis Hungarae cum Polonica Nexum apprime exprimentia Operi huic praefigenda e re fore censuimus. Audito praesentis Legationis scopo Rex se in omnia pronum ostendit, praeter Matrimonium cum Elisabetha decennio fere adultiore contrahendum, sed perpensis per otium innumeris pene commodis ex hinc manaturis, huicquoque annuit. Conceptum mox diploma, in quo praecipua Hungarorum postulata comprehenderentur: a) „Ut Inaugurationis suae tempore Wladislaus jure jurando, et solenni insuper diplomate caveret, libertates, et approbatas consvetudines Gentis Hungaricae salvas fore — Hungariam adversus quosvis hostes auxiliis Polonicis, vicissim Hungaricis Poloniam fideliter adjutum iri — dandam totis viribus operam, ut jura, et ditiones ad Hungariam spectantes vindicentur — de Russia — Podolia — et Moldavia lites ex aequo dirimerentur — castrum Lublyo cum XIII. Scepusii oppidis primoquoque tempore Hungariae restitueretur.“ Haec Uladislaus solennibus literis die 8a Martii (1440) datis, et 20 Magnatum Polonorum sigillis, et subscriptionibus roboratis rata habuit. Eadem conventionis

a) Pálma explic. Jur. in Russ. min. etc. p. 18.

puncta et Fesslerus Cl. Katona a) secutus refert eo immutato; quod intuitu Russiae rubrae, ac Podoliae ita conventum fuisse notet, ut apud Polonos imperturbatae maneant eousque, quousque deligendi Judices utriusque partis in eas jura ex aequo libraverint. Expugnatus tandem Legatorum momentis, sedatisque domi per Joannem Czartoryiski Lithvanicae propaginis Principem excitatis motibus, concredita Fratri suo Casimiro Polonia nunquam rediturus 21. Apr. e. a. Sandecio diggressus Késmarkinum appulit.

§. 56.

Ast in indipiscendo Regno difficultates experitur.

Pactantibus Cracoviae Hungarorum Legatis 22a Febr. e. a. Elisabetha peperit infantem Ladislaum Posthumum Avo simillimum; b) hinc negotium cum Wladislao Polono jam bonis avibus terminatum instigante eandem Ulrico Cilejensi C. suo avunculo per summam inconstantiam abrupit. Reduces proin e Polonia Thalótzium, Perényium, et Marczalium Legatos in carcerem poni jussit, pertractisque ad partem Filii sui pluribus regni Proceribus, celebrato Albae Conventu 15a Maii eundem infantem redimiri curat per Dionysium Szécsh A. Ep. Strigoniensem. c) Haec dum agerentur Wladislaus versus Eperiesinum movens proponente Simeone Rozgony in Vigilia Pentecostes Agriam comparuit, ubi facie, et corporis

a) Hist. Crit. T. XIII. p. 23. — b) Inscript. in merid. p. Basilicae Cassoviensis. — c) Thur. Cap. XXIX. p. 140.

statura satis deformis, liberalitate tamen, ac exaltató spiritu insignis quum praesentes labio Hungarico alloqueretur sine interprete multorum animos sibi conciliavit a) documento etiam tardae posteritati futurus: quantae sit patriae lingvae usus in Natione producendae energiae! — Inde in frequentissimo undique confluentium Hungarorum comitatu lento itinere Budam tetendit, ubi fugato prius per Rozgonyium Ulrico, a civibus honorifice exceptus reseratis per Laurentium Hedervåry Palatii Regii foribus Arcem subiit. Mox coactis in eadem Metropolitana Urbe per Palatinum Comitiis in nexu pactorum Craeoviensium Uladislai jam praesentis coronatio decernitur. His ad Elisabetham perlatis, Eadem cum pupillo Posonium fugit inde facile tempestatem cervicibus suis imminentem declinatura. Uladislaus autem conflato ex Hungaris, atque Polonis exercitu Ducibus Joanne Hunyady, et Sandivojo Ostrorogeo Jaurinum obsedit, fructus obsidionis erat interceptio Cilejensis Comitis. Quo viso plures a Regina secesserunt, Ipse Ladislaus Gara partes Wladislai se sequi simulavit. Superatis taliter obstaculis pro praefixo inaugurationis termino Albam — regiam properatum est. Ast arca, in qua S. diadema asservari svevit, vacua pro summo praesentium stupore reperta, patuit Elisabethae dolus, quae pretiosum hoc Nationis Hungarae Paladium Friderico Imperatori acceptis 2500 fl. cum pluribus finitimis locis oppignoravit; strictis gladiis Ladislaum Gara doli conscium ferire parant, ni Wladislaus imperato silen-

a) Aeneas Sylvius epis. 81.

tio furorem tantisper mitigasset. Quid facto opus? Status, et OO. perplexi haerebant, diu deliberatum desuper, tandem in arena captum est consilium: ut Corona, qua Divi Stephani Proto-Regis caput exornatum erat, ad insigniendum pro nunc Regem adhibeatur antiqua S. omni privilegio ad interim exuta manente. Solennia coronationis hujus peregit idem Dyonisius de Szécsh, qui nuper Posthumum coronavit; quo spectato Aeneas Sylvius ait: „Non improberandum hoc est nostro tempore, si propter vitam facimus, quae non videntur facienda, nec enim hi hodie sumus, qui pro justitia capita nostra ponamus.“ Functioni huic 17a Jul. peractae aliiquoque Hungariae Praesules intererant: Joannes de Bondelmontibus A. Epp. Colocensis — Sbigneus Cracoviensis (extraneus) Simon Rozgony Agriensis — Mathias Vespriemiensis — Henricus Quinque — Ecclesiensis — Georgius Lépes Transylvaniensis — Benedictus Zolio Zagrabiensis — Joannes de Dominis Segniensis — Joannes Corchula M. Varadiensis — et Jacobus Syrmiensis — Peracta coronatione pro more usitato ducebatur per forum ad Ecclesiam SS. Petri, et Pauli, ubi regio amictu ornatus in Throno sedens exercitium potestatis Regiae a decisione levatarum geminarum causarum auspicatus est. Tum plateas Urbis obequitans Ecclesiae S. Martini turrim conscendit, e cujus altissima fenestra evaginatum in quatuor plagas mundi vibravit ensem indicans: se contra quosvis hostes regnum semper defensurum. a) Cujus rei ut solennis ad posteros transiret memoria, insoliti

---

a) Dlugossus L. XII. p. 742.

coronandi moris ratio in publicas tabulas relata fuit: a) At vero infandum deinceps nonnisi morte Elisabethae exstinctum incendium Hungariam devastare caepit.

§. 57.

Coronatus Uladislaus I. factiones in Hungaria comprimit.

Coronato Wladislao I. in Regem Hungariae multigenae pro Regina in regno ortae factiones armis comprimendae erant. Dalmatae, et Croatae pro Elisabetha signa ferebant; inter Batta, et Czikador in Cottu Tolnensi Ladislaus Gara, Andreas Bothos, Joannes Korogh, Henricus Tamásy pro eadem in acie stabant, quos Joannes Hunyady, et Nicolaus Ujlak Wladislai partes tuiti in ordinem redegerunt, e quibus Bothos acriter pugnans victima cecidit. Ad Strigonium postea magnus civium sanguis fusus e Dionysii lóci A. Eppi oculis lachrymas elicuit — in Comitatu Castriferrei redacto in captivitatem Paulo Bánfy Comitum Ciley clientes copias Wladislai velitationibus lacessiverunt; donec capitulatis utrinque captivis 19a Apr. (1441) armistitium procuratum fuisset. Maxima vis stetit in superiore Hungaria superanda; Regina enim cum montanis Civitatibus Zoliensem, Sárosiensem, Gömöriensem, Aba-Ujvar, et Zempléniensem Joanni Giscra de Brandeis; Scepusiensem Akzamito, Liptoviensem demum, et Trencsiniensem Comitatus Thalafuso latrunculorum Bohemorum Ducibus in sui, ac Filii defensionem evo-

a) Pálma T. II. p. 240.

catis cessit. Contra hos expedivit Wladislaus Nicolaum Perény cum Joanne Csapek, qui ab obsidione Urbis Cassoviensis remoti associatis sibi plurimis Polonis Rosnaviense Bohemorum praesidium ad ripam Sajonis, ut antiquitate arrosa vestigia indigitant, situm deleverunt. a) Alii ad Granum, Vagumque fluvios procurentes, capta per Andream Thanczyn Tyrnavia quaqua versus pannicum terrorem sparserunt. His actis Wladislaus in expugnanda Urbe Posoniensi Reginae mordicitus adhaerente difficultatem passus Budam redux copias Polonicas in patriam remisit, quas ad Agriam hilariis indulgentes noctis silentio Thalafuz oppresit. Tum Bohemi totis viribus Nicolaum Perényi ad ictum destinant. Verum, ut hunc, Patriamque periculo eximat Simeon Rozgony jam antefatus Agriensium Praesul speciosae formae Neptem suam Joanni Giscra futuram Sponsam dedit. Politico hoc passu Bohemorum pro Regina pugnandi ardor refrixit. Quae procedente tempore suis etiam ideo invisa esse caepit, quod a Friderico III. per vices 27,000 aureorum levare titulo oppignoratae Coronae, et nonnullorum locorum praesumserit. Tantis navis Mariana jactata fluctibus ne mergatur, evigilavit Eugenius IV. R. P. qui 1442 Julianum Caesarinum Cardinalem tempestatem sedaturum in Hungariam misit. Hic primo sequentia inter Reginam, et Uladislaum stabiliendae concordiae puncta projectaverat: ut Uladislaus Tutoris titulo Regno Hungariae praesit, nonnisi in casum interventurae mortis Posthumi eodem plene potitu-

a) Fessler T. IV. p. 549.

rus; ut Is Filiarum Elisabethae seniorem Annam, Frater vero Casimirus juniorem Elisabetham in uxores accipiant. In sarciendas demum pro bello per Polonos factas expensas terra Scepusiensis jure perpetuo addiceretur Poloniae: praeterea Hungari bona fide antiquarent quamcumque actionem, et jus, quod aut in Podolia, aut in Moldavia se habere crederent. Haec quidem Elisabethae non minus, quam Polonis mirifice placuere; at Hungarorum praecipuis vehementer ea jurium, et finium regni alienatio displicebat: praeferenter Joanny Hunyady Vajvodae, qui per literas consultus in hae verba reposuit: a) „Si regina perseveraret inire foedus, in quo sui, suorumque habita ratione, membra regni (intellexit Scepusium, Russiam, Podoliam, atque Moldaviam) non solum ad tempus possidenda exteris traderet; verum etiam a corpore suo perpetuo alienaret, omni ope resistendum esse." His salvo Sedis Apostolicae honore rejectis Legatus ejusdem Hungaris svasor exstitit, ut Wladislaus obtenta publica fide Jaurinum ad Reginam proficisceretur. Quo cum venisset, pluribus diebus remotis arbitris familiarius cum Regina conversatus sub conditionibus nemini proditis amicitiam inivit. Ex quo rumor in vulgus manavit: Wladislaum bona Reginae venia in Hungaria regnaturum, dummodo aut precibus, aut armis infantem cum Corona e Friderici Caesaris manibus extorqueret. Addit Aeneas Sylvius b) synchronus: occasione hujus colloquii etiam nuptias sibi

---

a) Callimachus L. II. p. 326. — b) Kollár Annal. Vindob. T. II. p. 116.

mutuo appromissas esse. Id de Regina certum tenemus: Eandem simili colloquio oblectatam fuisse, cum haud multo post Budam profecta sola cum solo collocuta inchoatam, et utrique Nationi desideratam pacem ad apicem perduxerit; qua tamen Ei non diu frui licuit, redux namque Jaurinum ex uteri torminibus 24a Dec. e. a. praematuro funere diem supremum oppetiit.

§. 58.

Uladislaus I. ad Varnam caeditur.

Furente adhuc domestico turbine importunus Amurathes Turcarum Sultanus confinia Hungariae lacessebat; felicibus attamen ictus Hungarorum telis inglorius sine praedis recessit. Ast per inopinam Reginae mortem sopito potius, quam sublato civili bello ipsum Belgradum, vetustum illud Hungariae propugnaculum, ac Joannem Hunyady redivivum illum Pannoniae Hanibalem obsidem futurum praetendens (1443) importunior evasit. Quare consentientibus Regni Hung. Ordinibus icto prius cum Christianis Principibus foedere expeditio contra eundem decernitur, cujus Bellidux Joannes Hunyady intervallo quinque mensium sexies de hoste triumphavit; ultima pugna omnium maxime memorabilis commissa fuit ad montem Haemum, (Balkán *) ubi 30,000 Turcarum caesa, castra omnia occupata, Ipseque Carambegus captus est. Triumphum hunc so-

*) En! jam dudum Hungarorum ibi bellica virtus enituit, unde nostris diebus celebratus Russiae Heros Diebits praedicatum sumsit. —

lennem celebravit Wladislaus Budam contendens, a dextris n. p. ibat Hunyady Turcarum terror, a sinistris Georgius Despota, et Julianus Cardinalis; ante Regem vero ibant nobiliores captivi, inter quos praefatus Carambegus splendide vestitus, sed manibus a tergo ligatis, tum in Basilica B. M. V. Deo victoriarum largitori gratiae actae, spoliaque ad Aras appensa sunt. a) Tot, tamque gloriosae Joannis de Turcis victoriae compulerunt tandem Amurathem, ut supplicis vultum sumeret, missis eapropter in Hungariam Oratoribus 10 adminus annorum inducias imploravit; habitis igitur Szegedini (1444) Comitiis favorabiles pro Hungaris in decennium induciae conclusae, ac eodem adhoc anno, et loco, quod Principes Christiani initae secum prius conventionis fidem exolvi urgerent, ruptae sunt. Secuta dein illa Hungaris admodum luctuosa ad Varnam oppidum Bulgariae pugna, in qua, si cuncta Joannis consilio, et praevia dispositione acta fuissent, laetum pro nostris conflictus initium, gloriosior, laetiorque finis subsecutus fuisset. b)

Non est ecquidem nostri instituti pugnarum historiam texere; Varnensem tamen maxima, qua licebit, brevitate commemorabimus, ut evolvendus nexus tanto luculentior fiat. Ut primum Christianorum Principum hortatu Wladislaus Hungaros ad arma reverti jubet, tanta virtute in Turcas expeditio suscipitur, ut mox Hunyady Nicopolim, Cavarnam, ac Macropolim expugnando, ipsemet Wladi-

a) Callim. L. II. p. 335. — b) Mascule vindicavit hoc Cl. Mathias Kováts in Biographia Joannis Hunyady.

slaus cum exercitu ad Varnam delatus, dum furunculo in crure enato tentaretur, ibidem castra defixit. Interea Foederatis venire tardantibus Amurathes copias ex Asia per Hellespontum tansponit, ubi non jam Mahomedem, sed Christum violati a Christianis Sacramenti vindicem invocat. Joannes rite prius dispositis castris, postquam Regem iteratis vicibus, ne se, nisi extremum periculum id exigeret, loco castrorum moveret, admonuisset, primo Turcarum agmini, quod e 15000 fortissimorum equitum constans Ipse Sultanus in persona duxerat, cum una exercitus Hungarici parte intrepidus occurrit, tantamque brevi edidit stragem, ut Amurathes acceptae personalis ignominiae pudore amens equum jam in fugam averterit, nisi intentanta per alios Duces repentina a tam contumelioso passu prohibitus fuisset; in loco itaque per suos manere jussus accepto novo 6000 supplemento novam mandavit aggressionem, quam Hunyady, requisitis iterum intra obequitandum Episcopo Varadinensi, Regeque, ne se ob apparentem periculi propinquitatem loco moverent, pari felicitate repressit. Ast Proceres Poloni latus Regis stipantes, gloriae Hunyadyanae aemuli Regi suggerere non cessabant: ideo Hunyadyum disposuisse, ne castrorum loco discederent, ut omnem victoriae laudem ipse indivisam meteret. Id ipsum turma Praetoriana, regiique corporis custodes, quasi uno ore personabant palam querulantes: incassum se tantum terrarum tractum vincendi, aut moriendi desiderio animatos percurisse, dum in nobili adeo hoste debellando ne quidem partem habere permittuntur. His concitatus Wladislaus

validissimum Janitsarorum agmen fulguris celeritate aggreditur. a) Hoc dum fieret Amurathes solenne induciarum nuper Szegedini initarum instrumentum, quod a die subscriptionis sinu suo gestabat, longiori perticae, ut ab utroque exercitu conspici valeat, affigi jussit. Eodem tempore Wladislaus vibrato in omnem partem ense ipsum Sultanum ad secum duellandum constanter provocabat, in quem eminus observatum equo calcaria subdens sagittae instar rapiebatur. Amurathes resumptis tunc viribus tanto impetu in equum Regis hastam vibrat, ut supinus in terram dejectus Regem insessorem oppresserit, quem accurrentes Janitsari centum, et amplius vulneribus confodiunt, extremum ictum Ei inflixit Janitsarus nomine Theriz, quo accepto Rex en! exanimis jacet longiori vita, et Paterno Throno dignus. Pone eum pro salute Patriae strenue pugnantes occubuerunt Stephanus Báthory, Nicolaus Perény, et Henricus Thámásy, Viri alias toga, sagoque inclyti. Acta hac tragaedia non sivit cortinam demitti Joannes — geminata ex amissi Regis dolore ferocia in Regicidas invehitur, corpus saltem caesi Regis in usum condecentis sepulturae recuperaturus. Cujus tamen caput amputatum, hastaeque affixum Turcis gratissimum, Hungaris autem, Polonisque tristissimum praebuit spectaculum, qui taliter consternati victoriam fere in manibus habitam dimiserunt. Multo victoria haec Amurathem constabat cruore, qui amissis suorum 30 millibus ingemuit: se victoriam idmodi nonnisi suis hostibus precari posse. Decimam Novembris nume-

a) Chalkokondylas ap. Stritter T. III. p. 731.

rabant tunc Christiani (1444) quando Wladislaus 20 annorum, 10 dierum Princeps, duarum Nationum Rex ad Varnam occisus interiit, felicior futurus, si trans Carpathum mansisset, documento esse potest Regibus: vitam Regum non esse temere discrimini objiciendam, a qua salus civium alioquin pendet; documento una omnibus: juramentum etiam hosti datum sacrum esse oportere — nec fidem uspiam frangendam! — In hujus ad Varnam occidui Regis memoriam apud posteros conservandam post 384 annos Nicolaus I. Russorum Imp. qua Rex novae Poloniae ex occupato 11a Oct. 1828 propugnaculo Varnensi XII. tormenta Varsoviam deportari destinavit! (?)

Ex hac pugnae Varnensis serie innotescit: injurios esse quosdam post Dlugossum Poloniae Scriptores, qui fidem Hunyadianam proscindere nil sibi pensi ducunt. Sufficientem jam pro Illo a tanto scelere eximendo apologiam texuit Chalkokondylas exterus, neutri Genti communis Scriptor. Manus huic jungit Philippus Callimachus Natione quidem Italus, sed in Aula Polonica plurimum versatus a) qui Hunyadyum omnes boni Ducis partes omnino explevisse docet. His nos acquiescentes ad ultronea gressum facimus.

§. 59.

A pugna Varnensi usque 1469 *utriusque Nationis ad invicem correlatio.*

Post infelicem ad Pontum Euxinum cladem Ladislao Posthumo in manibus Friderici III. qua Tuto-

a) Callimachus L. III. p. 196.

ris existente Hungariam, qua Gubernator Joannes Hunyady meritis plenus regebat. Ladislao demum V. quum Magdalenam e Gallia Sposam expectaret, 23a Novemb. 1457 aetatis suae 17o spatio 36 horarum ad extrema deducto, Mathias I. Corvinus dictus praelaudati Gubernatoris Filius sequentis anni 24a Januar. Pesthini in Regem Hungariae proclamatus est. Apud Polonos autem fama caesi ad Varnam Wladislai V. perlata Casimirus IV. ejusdem germanus Elisabetham, Alberti R. H. Filiam in connubio habens eadem epocha rerum potiebatur, sub quo pacifice Poloni cum vicinis vivebant Hungaris usque ad evolutum causa Bohemiae bellum, si quasdam privatas rescindamus controversias sine strepitu armorum terminatas, quas nos hic e vestigio persequemur.

Reliquiae Bohemorum jam 1465, dum nulla a Giskrae excessu acciperent stipendia, agros Scepusienses conniventia Polonorum, praeprimis Jacobi de Dombno, qui regio praefectus erat Aerario, infestabant. Hungari quandoque reddebant vices; sic Stephanus in Késmárk tenutarius, et Emerici Deák nuper jam Polonis gravis Frater importunis sic dictorum Fratrum aggressionibus lacessitus excandescens terrae Scepusiensis oppida in pignore apud Polonos adhuc existentia primum hostiliter spoliando attrivit, dein 7000 fl. incolas ejates sibi numerari compulit. Vindicandam eam temeritatem plurimi Polonorum, et imprimis Przeclaus Castri Lublo Capitaneus aestuabant; Jacobo tamen Dabinsky Vice Thesaurario Regni Poloniae plurium Procerum votis adjuto projectante: ne ob excessum unius alma pax cum vicino Regno turbetur, ab armis hac vice rescis-

sum est. a) Tanto a fortiori, quod Mathias R. H. per literas, et Nuncios Conventum celebrandum postulaverit. Locum subsecuti Conventus alicubi in Scepusio designatum esse Cl. Pray b) opinatur exinde, quod eotum Mathiam Neosolii substitisse e literis Ejusdem compererit. In Analectis autem Scepusiensibus c) Bardoviense oppidum delectum fuisse legimus, in quibus una clare notatur d) paulo inferius: Hungaros ad indictum (1469) Podolinum conventum non comparuisse. Per idem tempus nova simultas Mathiae cum Casimiro oborta est, cujus remota causa a factis per quospiam privatos in Scepusium procursionibus petebatur, proxima autem in occupata per Mathiam armis Moldavia cubabat. E parte Mathiae itidem amicum Casimiro adusque conservatum situm turbabat acceptae repulsae dolor. Hic enim defuncta sterili Catharina Podiebradi Bohemiae Regis Filia impensius orabat Caesarem, ut Filiam suam Cunegundem ei conjugem daret, aut saltem interventione sua Hedvigem Casimiri natam impetraret. Caesar Filiam suam denegando apud Casimirum artibus suis effecit, ut isquoque eundem (Valachum appellatum) in Generum adsciscere non sine contemtus significatione recusaverit. e) Ortum ex hinc Mathias dolorem sat diu tacito pressit corde; querelas tamen non praetermitti oportere censuit. Hinc ad Optimates Poloniae hunc in modum scripserat: f) „Duo sunt,

---

a) Wagner Analec. Scep. P. II. p. 102. — b) Annal. Hung. P. IV. p. 22. — c) Wagner P. II. p. 102. — d) Idem p. 103. — e) Cromerus L. XXVIII. p. 411. — f) P. III. epist. Mathiae Corv. p. 56.

quae Vobis per literas vestras imputatis: invasionem Moldaviae tamquam ad regnum vestrum pertinentis terrae, et damna, nec non injurias vobis, et vestris ex Hungaria per nostros illatas etc. Terram vero illam, prosequitur, nostri juris esse, antiquissimus, et continuatissimus Praedecessorum Nostrorum Regum Hungariae titulus declarat, non quidem inanis, sed possessione nunquam interrupta munitus. Nam ut vetustiora nunc omittamus, post memoriam hominum Vajvodae Moldavienses semper Regibus Pannonicis servierunt, et provincia illa nullum habuit Praesidem, nisi hinc approbatum, vel immissum etc." Haec scribendo Mathias jura sua in Moldaviam contra Polonorum praetensiones obvallare intendit: num itaque nos parem callem intuitu vindicandorum S. Coronae Hung. in Russiam rubram, Podoliamque Jurium superius terendo arguendi simus? judicio LL. relinquimus. Ceterum controversiam hanc sine strepitu armorum terminatam fuisse ex eo putamus, quod orti titulo hoc Hungaros inter, ac Polonos belli memoria apud Scriptores haud occurrat. Grandiora visa sunt utrinque Nationi intuitu Bohemiae negotia, quae apertum suscitarunt bellum, cujus evolutionem audiamus.

§. 60.

Mathias I. R. H. cum Casimiro IV. R. P. bello implicatur.

Utraquistas in Bohemia tumultuantes, ut dicere amabat, Mathias compositurus, revera autem Regno potiundi cupidine abreptus arma in Podiebradum mo-

vit. Quo 22a Martii 1471 a terrenis evocato tripudiabat Mathias realisandorum circa Bohemiam votorum spe tumidus. Pontificias hunc in finem exoravit machinas, quibus nihil opitulantibus per denominatum Wladislaum Casimiri IV. Poloniae Regis Filium in Regem Bohemiae pulcherrimos suos conceptus eludi ira fremens vidit. Affectus hic in longius protracti inter aemulos belli facem accendit. Mathias occupata Moravia, Silesia, ac Lusatia versus Pragam cum exercitus robore properabat, quem ut Pater Casimirus IV. removeat eodem tempore, quo Filiorum unum Wladislaum Regem Bohemorum futurum eorsum miserat, alterum juniorem Casimirum viginti armatorum millibus instructum in Hungariam diréxerat. Sparsae per Hungariam pro tutandis suis juribus Casimiri literae, quarum initium est: a) „Casimirus Dei Gratia Serenissimi Domini Domini Casimiri eadem gratia Regis Poloniae, Ducis Lithvaniae, ac Russiae, Prussiaeque Haeredis Filius, Regni Hungariae Dominus naturalis, ac Haeres Mathiae de Hunyad regni Hungariae Usurpartori salutem!" magnam excitarunt attentionem; qui mox Cassoviam, Agriam in suam redigendo potestatem usque Nitriam cujus loci Epp. Thomas Debrentei in monte Pannoniae degebat, penetravit; in itu hoc jam inedia laberantem exercitum pinquis Praemonstratensium Praepositura IpolySágh *) refecit. Ma-

a) Katona T. XVI. p. 496. — *) Praep. haec post multas vicissitndines per Cl. Fuchshofer recensitas modo est Juris Ven. Capituli Rosnaviensis, cujus actualis Praepositus M. est Rss. D. Andreas Vitéz de Nyitra-

thias Castro Nitriensi praesidium per Casimirum impositum inaudiens celeri passu in Hungariam festinavit, conciliatisque Procerum studiis Joannem Vitéz imprimis suum olim Mentorem, nunc autem A. Episcopum Strigoniensem cum Joanne Cesinge (Jano Pannonio) ejusdem nepote Quinque-Ecclesiensi Antistite ob insolita, eaque multiplicia sibi, totique Nobilitati imposita onera, ademptas decimas, imminutas libertates a Rege dissidentes placandos statuit. Inclinavit venerandus Pater in conditiones juvenis Regis, quas tamen dum adimpleri minus vidisset, alienum rursus ab Eodem animum ostendit. Quare jussu regio Vissegradum ductus, et arcta custodia servatus aegre deinceps agente Pontifice impetrare potuit, ut in arce Strigoniensi retenta jurisdictione spirituali extra custodiam potuerit commorari, quam ignominiam adeo acerbe tulit Vitézius, ut brevi contracta animi aegritudine contabuerit, cujus fato discit posteritas verificari illud, quod olim Craesus post Solonem dixit: „Nemo ante mortem beatus.“ Nepos Ejusdem etiam in spontaneo obiit exilio. *) Delinitis discontentorum animis Mathias versus Nitriam

Ivánka cum 5 Con-Can. collegio-titulum autem sibi Clementer collatum gerit Rss. D. Paulus Füzessféry de eadem et Tövis etc. Oppidi Szepsi (C. Abaujvár) Parochus. — *) Cujus sarcophago hoc erat per vivum adhuc conceptum epithaphium, quod e Cl. Fessler huc inserimus: (T. V. p. 285.)

„Hic situs est Janus, patrium, qui primus ad Istrum
„Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
„Hunc saltem titulum livor permitte sepulto;
„Invidiae non est in monumenta locus.“

movit. Rei inibi gestae seriem Cromerus a) his consignavit: „Interim autem dum haec faciunt, (Poloni) mercenarii milites, qui externi fuerunt, e castris Casimiri Jun. apud Nitriam positis dillabi caepere ob non soluta stipendia: quorum discessione moti Primores exercitus persvaserunt Casimiro, ut relicto ad praesidium Jasenio cum 4 millibus, Ipse cum reliquis copiis in tutum se reciperet prius, quam ab hoste, qui auctis copiis adesse nunciabatur, obsideretur; qui quidem receptus effusae fugae fuit simillimus. In itinere ad sexaginta quadrigas, quae sequebantur, fugientes amisere ab agrestibus interceptas. Ejus autem ignominiae culpa penes Derslaum Rilhviavium potissimum fuisse dicitur. Sed merito ea tunc Polonis divinitus accidisse credita est, propterea, quod proficiscentes in Hungariam, soluta prorsus disciplina militari, non modo a vi, et rapinis sacrorum juxta, ac profanorum; sed etiam a stupris puellarum, et matronarum, et omnis generis injuriis, et contumeliis sibi non temperaverant." Hactenus de suis Poloniae scriptor. Quae dum in Hungaria agerentur, Wladislaus 22 Sept. e. a. in Regem Bohemiae coronatur, quem ne impetat Mathias, misit ad eum Sandecensem Castellanum fine procurandarum induciarum, cui per Mathiam repositum fuisse: „venturum se brevi, et calvo (depilis enim erat Casimirus) reliquos quoque crines evulsurum." Austriaci Scriptores serunt. b) Excurrebant itaque in conterminos Hungariae Comitatus prae-

a) De reb. Pol. L. XXVII. — b) De Roo Hist. Aust. L. VIII.

sertim Sárosiensem, et Zempléniensem a) praedas acturi Poloni, ad quos componendos, reducendaeque inter tres Nationes turbatae harmoniae sub initium Febr. 1473 conventus celebratus est Olomucii; verum ibidem vix induciae usque Augustum duraturae concludi poterant, sub cujus dimidium iterum venere trium partium Legati Oppaviam, ubi Carolo Audace Burgundiae Duce in litigantium arbitrum delecto quiqui ad sua recesserunt. Soluto sine sperato effectu Mathias Sztropko, Homona, N. Mihály, et alia nuper per Polonos rapta recepit, praedabundosque acephalos, potissimum e Polonis lectos persequendos sumsit. b) Tum Hungari in meditarenea Polonorum procurrentes duce Thoma Tarczay Smigrodum oppidum noctu scalis admotis caeperunt; arcem vero fatente Cromero, ictibus bombardarum quassatam per deditionem accesserunt, et novis propugnaculis, fossisque muniverunt. Direpti sunt ea excursione, et incensi vici, sive oppida: Joslaum, Broteum, Colocia, Frislatum, Dembovetia, Dulia, et Pilsna, quae tunc opulenta erat, et prope 200 pagi, indeque captivorum ingens numerus in Hungariam abactus. In senes vero, et juvenes ferro saevitum est. Corsna oppidum, quamvis parum abfuerit, quin proderetur, naviter tamen defensum, item arx Golessia Tinicensis Abbatis, Mussina vero Episcopi Cracoviensis propter paucitatem defensorum ex pacto dedita.

a) Szirmay not. hist. C. Zemplén. — a) Crom. L. XXVIII.

§. 61.

Irrita pace hostilitates continuantur.

Dum tantas Hungari-Polonis inferrent violentias, Casimirus ad angustias redactus, de iis retundendis consilia cum suis inivit, quos cum ad dandum in aere parato, aut armis subsidium multo tardiores observaret, suam in limitibus de pace tractandi Mathiae annunciavit voluntatem. Qua comperta Mathias Eperiesino Gabrielem Rangon Transylvaniae, et Osvaldum Thúz Zagrabiensem Episcopos; Georgium Hasznos Quinque-Ecclesiensem, ac Casparum Back Scepusiensem Praepositos; Emericum item Zápolya, et Joannem Pongrácz e statu civili suo nomine cum Poloniae Delegatis acturos ad Ó-falu (Scepusii locum) dimisit. Casimirus itidem Jacobum Syeno A. Ep. Gnesnensem, ac Rzeschwowsky Cracoviensem, nec non Joannem Rithwyani, et Kmitha plena potestate provisos Schramoviczium direxit. Die Lunae ante Festum S. Mathiae (1474) habita mutua concertatione pacis tractatus in conclusum abivit ea lege, ut hostilitates, et praedae utrinque cessent; si quis in observum ierit, atque talem quis protexerit, pro infami habeatur, et condigna paena afficiatur — litigantibus circa jura, proprietatesque competentes Judices justitiam administrent — indemnisatio partium ordinetur — loca perprius occupata ac retenta restituantur — armistitium in triennium servetur — quae singula conventionis puncta per Regem Bartphae 27a Febr. per Status autem Regni Budae 24. Apr.

confirmata sunt. a) At vero quam larvata mente egerit haec Casimirus, satis ostendit, dum e. a. 13a Martii jam per Nuncios cum Friderico contra Mathiam foedus pepigerit. Mox copias suas Bohemicis adjungens Silesiam eo tum Mathiae parentem evastavit; imo Eundem Vratislaviae cum 6000 commorantem obsidere parat: verum Hungaris saepe excurrentibus tanti e hostibus intercepti sunt, ut omnia ergastula Urbis captivis implerentur. Ad cumulum malorum pro Polonis accessit inclementia caeli, ad quam facete alludit Gabriel Rangonus Agriensium Antistes canens:

„Bruma venit, nix alta ruit, migrate Poloni,
O! fugite ad proprios algida turba lares."

Queis attriti malis serio de pace cogitare caeperunt; qua occasione pulcherrimum beneficentiae exemplum ostendit Mathias, docuitque etiam inimicis esse benefaciendum: b) „exercitum enim Polonicum, qui inedia contabescebat, et miseram vitam vix ex esu raparum sustentabat, totum triduum pavit ex Urbe: nam super alias clades 18a Nov. incendium in castris ortum fuerat, quod magnam partem castrorum consumsit, perierunt multi homines etc." Bellum hoc a Casimiro causa Filii Wladislai in Bohemia, cui Mathias inhiabat, stabiliendi praesusceptum nonnisi 1479 finitum est ita, ut si Mathiam sine haerede decedere contingeret, depositis tunc 400,000 aureorum Moravia, Silesia, et Lusatia ad Uladislaum,

a) Fessler T. V. p. 293. — b) Cureus in Annal. Silesiae.

qua Bohemiae Regem devolvatur. a) Non modicas in eodem partes habuisse Polonos vidimus; hinc facile derivanda est illa aversatio, qua Status, et OO. Regni Hungariae singulare de Polonis condendo Decretum aevo hoc in Gentem illam ferebantur.

§. 62.

Fata Indigenatus in Hungaria sub Mathia I. Polonis denegati.

Plures sub incunabulis Monarchiae Hungaricae exterarum Nationum excellenti virtute praeditos Viros solo arbitrio Principis in catastrum realium Regni Nobilium assumtos esse, Historia Patriae docet, quin norma aliqua solennis obtinuerit, vel actis Diaetalibus nomina receptorum inferri consveverint. Nemo sane ignorat Vencelinum Bavarum, a quo Inclyta Báthoreorum Familia descendit, hac modalitate ingremiatum optimum evasisse Patriae Filium. Sub Ferdinando I. primum in edito a. 1542 articulo 50 solenniter recipi Status, et OO. egerunt apud Suam Majestatem Martinum Musica, alias Lascanum arcis Strigoniensis Praefectum; norma receptionis praestitui caepit 1577, quae deinceps accuratius explicata, et determinata fuit. b) Quibus innuitur ad Indigenatum in Hungaria consequendum praeter clementiam Regiam desiderari insuper consensum Statuum, et OO. Regni. A quo tamen consequendo sub regimine Mathiae I. Art. 32. 1486. Polonos exclusos esse deprehendimus: „Item quia — Poloni omni

---

a) Dlug. L. XIII. col. 489—522 et Thúróczy P. IV. C. LXVII. — b) 1687: 26. 1715: 23. 1741: 41.

arte, omnique via, et technis conati sunt, et semper conantur ad terras, et dominia ad S. Coronam pertinentia pedem inferre, et illa usurpare, prout etiam aliquam partem de facto usurparunt. Proinde statutum, et sancitum est, sub nota perpetuae infidelitatis: ut nemo regnicolarum audeat illis, aut eorum alicui castra, fortalitia, civitates, oppida, possessiones, aut alia bona immobilia vendere, inscribere, impignorare, commendare, donare, vel aliter qualitercumque dare, vel assignare." Quia tamen lapsu temporis mutatis correlationibus Status, et OO. e generosa secus hac Natione plures futuros praeviderunt, qui habita realium pro Republica Hungarica exantlatorum meritorum consideratione aurea hac praerogativa excludi nullatenus valebunt; ideo casum in illum Iidem cupiverunt in legum tabulas inseri hanc cautelam: „absque nectenda de hinc in futurum sequela." Sic jam 1578 legimus a) Albertum Laszky Palatinum terrae Siradiensis in numerum Nobilium Hungariae cooptatum fuisse; sed una eodem in Art. Statibus visum est adnectere:" quod deinceps nullo unquam tempore legi vestutae Mathiae Regis praejudicatum esse velint. „Ast, quo magis ad nostra accedimus tempora; eo pluries et huic legali clausulae derogatum esse scimus: ita Princ. Adamum Czartoryiski *) Indigenam Hungariae creatum recenti memoria tenemus, cujus nomen recentissime etiam in Art. XVIII. Comitiorum a. 1827 inter eos Hungariae Cives relatum habetur, qui oblationes suas pro Lu-

---

a) Maximil. Dec. VII. Art. XVIII. — *) dum haec scriberemus est Varsoviae Deput. regnic. Praeses.

dovicea in Schaedis bancalibus reductionem passis factas, se in valore quoque Schaedarum reluitionalium modalitate per ipsos indicata praestituros declararunt. Quibus spectatis, quod jam in suis Institutionibus Juridicis Cl. Kelemen a) alter aevi nostri Irnerius praedixerat, videmus: procedente Nationis Hungarae cultura mutatis rerum, ac temporum adjunctis ignominiosam illam Nationi Polonicae Articuli 32. a. 1486 provisionem nostra aetate sublatam esse. b)

§. 63.

Mortuo Mathia I. R. H. eligitur Wladislaus II.

Mira rerum humanarum conversio! Wladislaus Casimiri IV. Poloniae Regis natu major Filius per Hungaros ad Thronum sublimatur, contra quem vivente Mathia I. toties arma strinxerunt. Hujus itaque insperatam electionem hic loci enarremus: sexta Aprilis 1490 fuit funesta illa pro Hungaris dies, qua Mathias Corvinus Viennae vivere desiit. Postquam Illi regio more parentatum fuisset, 15a Maii e. a. Status et OO. convenere fine eligendi novi Regis ad Civitatem Pesthiensem. E quinque pro dignitate Regia Canditatis nos hic bini duntaxat interessant, e quibus Wladislaus bravium taliter reportavit: Pro Alberto ejusdem Casimiri IV. natu juniore Filio missi ad Comitia Oratores allegarunt veterem sanguinis necessitudinem, quae Hungariae Regibus olim cum Polonis intercessisset, quo saepe factum esset, ut

a) T. I. Inst. Jur. §. 173. p. 204. — b) 1827: XXII. Novel.

isti in orbitate regni Principem ex Hungaris, illi vicissim, cum Regnum haerede careret ex Polonis Regem optarint. Ita Ludovicum (M.) in Sarmatia rerum potitum fuisse, et Wladislaum Casimiri Fratrem vicissim in Pannonia regnavisse. Electo Alberto, qui jam fusis Tartaris sibi boni militis famam procuraverat, maximam affulgere, ajebant, Regno Hungariae spem, ut Tarcarum progressionibus quam prosperrime occuratur, praesertim, quod et Pater casum in eum necessaria Filio sit collaturus auxilia. His auditis pro Wladislao Bohemiae Legati, ubi jam Is regnaverat, expositis prolixa oratione sui Regis virtutibus, atque generis nobilitate nihil salutarius Proceres Hungariae facturos aperte edixerunt, quam si concentratis suffragiis eidem Wladislao Fasces regios detulerint; hac enim via fiet, ut coadunatis duorum vicinorum regnorum viribus non solum barbari confiniis saepius infesti, sed ceteri etiam hostes coerceantur. Valuere haec apud plerosque rationum momenta, praesertim autem viduae Beatricis vicerunt lenocinia; haec enim 1479 adhuc cum Marito Olomucii morata adolescentis adhuc Uladislai forma, et indole usque adeo capta fuerat, ut mox a Viri obitu ejus amores ad insaniam usque captarit, utque Illius nuptiis potiretur, pro Eo ad vacans Solium ponendo apud Magnates potenter egit. a) Expetitum in dubio Stephani Zápolya pro tunc Viennensis Gubernatoris, multum apud Nationem appendentis decisivum judicium, quo dum Wladislai electio probaretur, Rex omnium pene votis proclamatus exstitit.

---

a) Cromerus L. XXIX. p. 417.

Splendida protinus ad Eum evocandum adornatur Legatio, cujus membra e Statu Ecclesiastico: Joannes de Pruis M. Varadinensis — Thomas de Bakács Jaurinensis — Joannes Zokoly Csanadiensis — Stephanus Fodor Syrmiensis Episcopi; e civili autem Ordine: C. Stephanus Báthory — Stephanus Zápolya C. Scepusii — Sigismundus C. de Pösing — Petrus Geréb de Wingarth — Ladislaus Rozgony — Bartholomaeus Drágfy, ac Vilhelmus Paumkircher fuerunt. a) In confinio Rege digno Eundem praevenerunt honore, qui ad interiora deductus Farkashidae substistens solenni diplomate b) proposita sibi conventionis praeviae puncta sine exemplo probavit, unde remotis aliis obstaculis 21a Sept. e. a. Albam deductus praeter usitatum adusque morem per Osvaldum Zagrabiensem omnium Regni Episcoporum seniorem inauguratus est. Regis coronati, ac Hungariae hujus aevi Statuum genuinam effigiem vivis, ut ajunt, coloribus adumbravit (1548) Antonius Verantius: c) „Regem quidem, non qualem debuere, consecuti sunt, sed qualem voluere. — — — Nihilque minus, quam Regem habuere, integerrimum alioquin, et contentissimum Principem, quippe reddito illi nomine tantum, atque honore regio, otiique etiam tradita copia, quantam maximam natura ejus, atque institutio aliena prorsus a negotiis, desiderabat, omnem totius dominatus potestatem, ipsi Nobilitatis Principes in se traxere.“ — — „Principem

a) Fessler T. V. p. 716. — b) Kováchich suppl. ad vest. Com. T. II. p. 270—282. — c) Idem de reb. gest. Hung. ab inclin. reg. T. II. p. 35. et sequ.

sibi sedatum, facilem, et maxime externum, morumque, et lingvae, et jurium suorum ignarum quaesivere, quo facilius multis nominibus abusi Regis imbecilletate jugum disciplinae ab optimis, et gentilitiis regibus — — institutae excuterent, et sua quique in ditione, uti collibuisset, privatae libertati, ac magnitudini per licentiam studere possent."

§. 64.

Otium Wladislai II. Frater Casimirus turbat.

Geminae per Wladislaum obtentae Coronae possessionem aegro animo ferebat Frater ejusdem Joan. Albertus Poloniae Princeps; quare accepto a Patre, qui Filiorum unum in Bohemia, alterum in Hungaria regnare optasset, 12000 exercitu, magna item Tartarorum manu adjutus superiorem Hungariam inundavit, cujus ferociam aversatus Wladislaus Scepusiensem C. Stephanum Zápolya Cassoviam versus cum 18000 praemisit. Hic pugnae praelusit quidam robustus Tartarus incondito clamore quemcumque ex Hungaris ad ineundum secum singulare certamen provocans; fastum barbari Demetrius Jaksitzs equitum Magister amplius ferre non valens in arenam descendit, quo dextre prostrato velitationes inchoatae Alberto non ad palatum cesserunt, qui amissis duobus infra se equis Eperiessinum fugienti similis properavit; isthic Eum a nostratibus iterum arietatum, et victum in Analectis Scepusii expressum a) legimus.

---

a) Wadner P. II. p. 12.

Haec audiens Wladislaus sortem Fratris commiseratus malebat per foedera juvenem sibi conciliare, quam armis Hungarorum profligatum ad frugem revocare. Hoc ipsum res Alberti senescere videns Pater desideravit prudenter veritus, ne duobus pro Hungaria concertantibus filiis uterque finaliter eadem excideret. Convenere itaque revehendae concordiae Fraternae arbitri pro parte Wladislai: Valentinus M. Varadiensis, et Thomas Bakáts Jaurinensis Antistites, item Joannes Schelenberg regni Bohemiae Cancellarius cum Vilhelmo Paumkircher; pro Alberto vero ejusdem Cancellarius Nicolaus Krayne Stobnitzensis Praepositus, nec non Petrus Myskorszki Wielunensis Castellanus, qui influentibus A. Episcopo Leopoliensi Andrea, et Posnensi Palatino Mathia de Bnyn missis a Casimiro Plenipotentiatis elaboratum 20a Febr. 1491 Wladislao praesentarunt planum ab eodem incunctanter acceptatum; vi hujus Albertus Hungariam pleno jure Wladislao cessit, hic vero Alberto post fata Paterna coronam Poloniae; in quorum majus robur Wladislaus amplas in Silesia ditiones Fratri tradidit, ac insuper tria aureorum millia se soluturum, quotannis promissit. a) His pactis redeunte in Poloniam Fratre Wladislaus Cassoviam se tandem resolvit, cujus Urbis cives ob testatam sibi constanter fidelitatem insigniter remuneratus est, reliquis etiam Alberto prius adhaerentibus amnestia publicata. Ast raram esse concordiam Fratrum et hic non multo post verificatum est: cum enim ob hostilitates per Fridericum Imp. exercitas evacuato fun-

a) Pray Annal. P. IV. L. III. p. 219.

ditus regni gazophilacio nupernas conditiones Alberto adimplere nequiret, hic majori, ac ante apparatu in Hungariam venit, ac Zempléniensi praeprimis tractui vastitatem nihil tale ominanti intulit; Praepositurам Lelesziensem, et aliorum Dynastarum se pro Rege agnoscere recusantium castella incendio delevit. Usque Tokay castra sua extendit, e cujus promontorio reservata pro suis suffectura boni Vini copia duo millia adhuc vasorum de meliori grano ad Poloniam expedivit. Praedarum immanitate percitus Uladislaus Stephanum Zápolya altera vice contra Fratrem ire jussit, qui Bohemos ob non accepta stipendia militaria signa sequi recustantes ea spe lactatos: in casum reportandae de hoste victoriae se eadem ipsis ex oppignorandis propriis bonis ad amussim depensurum, ad fortiter dimicandum animabat, his cum II. CC. Aba-ujvár-, Zemplén-, Sáros-, et Scepusiensis banderiis conjunctis pone Cassoviam in aperto campo decretorio praelio cum Alberto conflixit. Summa utrinque pertinacia Spectatori dubium reliquit: utra pars magis inclinet? donec Albertus numero cedere coactus priorem pacis tractatum renovandum, et nunquam amplius violandum, expostulavisset. Postulato fraterno subscribit Wladislaus; Zapolya autem regium Principem ad regium luxum accedente modo in Arce sua Scepusiensi exceptum per suum equitatum trans Carpathum deduci curavit. a)

In nexu horum pactorum Casimiro IV. (1492) decedenti eundem fratrem Albertum; huic iterum

a) Istvánfy L. II. p. 13.

1051 alterum fratrem Alexandrum, ac demum 1506 omnium minimum Sigismundum in Polonia surrogari passus est quietis amans Wladislaus; quid quod pluries, quoad viverent iidem Fratres coronati se mutuo in Scepusio, signanter Leutsoviae salutarunt, atque ad privata colloquia descenderunt, a) quorum tamen tenores nunquam publicam lucem viderunt. Unde non desunt quidam mysteriorum politicorum scrutatores, qui Wladislaum Hung. Regem ad reprehensionem usque quietis studiosum per vivaces suos Fratres eo adductum fuisse putent, ut juribus S.Coronae in Russiae rubrae, ac Podoliae terras per Reges Hungariae adusque caste conservatis renunciaret. Ast somnia haec instrumenta publica per eundem Wladislaum usque ad dies vitae invariate sic inchoata: „Nos Uladislaus Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex etc." b) satis dispellunt; et alioquin diplomatico sudore, non fraternis visitis regna parari oppido notum est.

§. 65.

Ejusdem Wladislai II. R. H. Frater Sigismundus R. P. Stephani Zápolya R. H. Palatini ducit Filiam.

Stephanus Zápolya Comes Scepusii jam sub Mathiae I. regimine inter Proceres Hungariae caput attollere caepit, cujus relicta Vidua Hedvigès per fra-

a) Analect. Scepus. P. II. p. 115. — b) Pray Annal. P. IV. p. 329 et alib.

trem Tessinensium Ducem apud Wladislaum II. Regem egerat, ut si nuptias inter Barbaram gnatam suam, et Sigismundum apud Polonos pro tunc dominantem contrahendas non promoveret, adminus non impediret. Wladislaus re cum familiaribus deliberata propter insignem Virginis formam, sociatumque pudorem Eandem Fraterno, eoque regio thalamo dignam omnino esse censebat; idcirco Michaelem Hanelum Budensem A. Presbyterum, cum praeattacto Tessinensi duce Casimiro Cracoviam in merito procurandarum nuptiarum acturum misit. Facilem Procurator in adoptandam Hungaram Sponsam adinvenit Principem. Projectum hoc in exitu anni 1511 in vulgus diductum varios concivit animorum motus. Quis subsecutae Hymeneae pompae splendor fuerit? e Jodoco Decio, qui Sponso regio a secretis consiliis erat, excerpere juvat: a) „Fuere ad Barbaram Regiam Sponsam Legati designati: Joannes Lubrantius Posnaniensis Ep. Christophorus Sidlovicius Castellanus Sandomirensis, Lucas de Gorca Poznaniensis, et majoris Poloniae Capitaneus. Hi splendido ornatu Poloniam egressi per Silesiam, Moraviamque Trenchinium venere; nova suscepta Sponsa in Poloniam iter diverterunt. Hanc Hedvigis Genitrix, Joannes (Zápolya) Frater, Casimirus Dux Tessinensis Avunculus usque Cracoviam 800 equis comitati sunt. Confecto itaque itinere 5 Febr. apud Moravicum pagum prima nocturna habuit: summo de hinc mane Feria 6a — — Sigismundus instructissimis copiis comitatus Sponsae novae vehiculo ve-

a) Wagner Anal. Scep. P. II. p. 124.

ctus, quod nives maximae, et intensum frigus esset, obviam egressus est. Comitati fuere Sigismundum plerique ex advenis Legatis, atque Oratoribus — — illustresque feminae. Fuere tunc tentoria apud Lobsovium ad Septemtrionem fixa, terra item rubro panno constrata; hoc in loco Rex Sposam novam expectabat. Paulo post, quam illuc perventum esset, Georgium Bregensem ducem ad regias nuptias evocatum 70 equitibus armis undique splendentibus comitatum Rex hilari vultu excepit. Tandem in multam diem Regia Sponsa curru ab Uladislao Hungariae Rege ad hoc misso ad Regem vecta fuit; dumque Illa ex curru in terram prosiliret, per pannum ad hoc stratum Regi obviam venit. Excepta fuit vulgari primum oratione per Joannem Laskaeum A. Presulem Gnesnensem hac expleta Joannes Staphilaeus Apostolicus Legatus eleganti latina oratione huic Matrimonio votis omnibus felicitatem beatumque eventum precatus est. Rex exceptam Sponsam vehiculo assumsit, atque inde in Urbem Cracoviensem deducta est. Patrum Gymnasii Cracoviensium collegium apud Cleopardiam Barbaram Sponsam breviuscula oratione excepit, Senatus, populusque Cracoviensis omni veneratione, ac honore hunc ingressum honestavit. In Arcem, quae Urbi imminet, inclinato jam die Sponsa pervenit, atque ibidem per Mathiam Drevitium Epp. Premisliensem excepta, hincque in Aulam ad haec decoratam introducta, postridie Dominico in Septuagesima, quae VIII. Febr. erat, Majorum more in Divi Venceslai aede Barbara Virgo in Reginam Poloniae coronata fuit. Munus coronationis Joannes Laszkaeus

A. Ep. Gnesnensis executus est. Adfuere his ceremoniis Bernardinus A. Eppus Leopoliensis — — Uladislai Hungariae, et Bohemiae Regis Legati Joannes Thurzó Vratislaviensis Episcopus, et Ambrosius Sárkány, C. Posoniensis — Primasquoque R. H. et Cardinalis Thomas Bakáts — Georgius Szathmáry Regni H. Cancellarius, Ep. — Sigismundus Thurzó M. Varadiensis — Stanislaus Thurzó Olomucensis Episcopi. — Emericus Perény Palatinus pro solenniis his per binos miserunt Deputatós — adfuerunt et plerique alii — Sacris rite peractis, conviviis tempora solita data fuere, hincque suis diebus hastarum ludi, militiae exercitia, choreae, et idgenus laetitiae fuit. — — Laetitia autem omnium applausu expleta, summi Pontificis, Regum, atque Principum Legati, et oratores summis honoribus venerati, muneribus dotati sunt, et dimissi. Barbarae Mater Hedvigis, Joannes Frater, et Casimirus avunculus cum Wladislao Filio speciali humanitate, atque liberalitate longius asservati tandem in propria rediere.“ Hactenus nuptiarum Sponsae Hungarae cum regio Sponso Polono celebratarum pompa. — Qua peracta (10a Febr. 1512) Rex Poloniae Conthoralem suam sequentibus dotavit: a) „100,000 Fl. Hung. ratione dotalitii collatis, alia 100,000 Fl. H. in terris, districtibus, castris, civitatibus, oppidis, et villis inscripsit Eidem: in novae civitatis Korczyn, Vislitiensis, Zarnociensis, Radomiensis, Jedlna, Koziencze, et villis ad eadem spectantibus, nec non Sztanziciensi, Radoszeviensi, Lanciciensi, Przedecensi

a) Dogiel in Analec. P. I. p. 152.

cum Clodava oppidis, et villis ad eadem tunc spectantibus. Item in ditione Pizdiensi, Juniowladislaviensi, similiter cum districtibus, oppidis, villis, praediisque, et curiis, fructibus, ac proventibus, censibus, utilitatibus, dominiis, juribus, pertinentiis attinentibus, apprehensionibus, teloniis, duorumque grossorum exactionibus, contributionibusque, et usibus universis, quolibet ad ipsa castra, civitates, et bona ab antiquo spectantibus, ac servitiis, dignitatibus, honoribus Juris Patronatus, nec non in Radzejow, et Slomko teloneis in 200 Fl. Hung. Sed quia in praeexpositis locis aliqua tenebat adhuc Regis soror Virgo Elisabetha, in horum supplementum civitatem Brecz, et castrum Sochaczow. In locum demum boni Lobzov aeque ad Reginas spectantis, sed pro tunc in manibus Joannis Bonner existentis 200 Fl. H. e Zupis *) regiis Vielicensibus singulis annis in Festo S. Martini solvendos praelibatae Consorti assignavit. Quae accepta a Fratribus suis Joanne, et Georgio (Zápolya) quarta ut vocant, puellari omnibus se in avita bona juribus eodem anno abdicavit. a)

§. 66.

Idem Sigismundus I. R. P. turbatas Hungariae res pacare nititur.

De Stephano Joannis Zápolya Patre genere Posegano, cujus nos jam superius laudes celebravimus, L. B. Sigismundus Herberstein memoriae prodidit: b)

---

*) h. e. salis fodinis. — a) Id p. 156. — b) Rer. Mosc. Com. p. 148.

„Quum post obitum Mathiae (R. H.) de creando novo Rege ageretur, Filium suum Joannem adhuc infantem complexum dixisse: si tantulus esses Fili! (modo corporis paulo majore ostenso) nunc Rex Hungariae esses.“ Quod sollicitus Pater infantem fieri cupivit, id adultior factus filius per fortia prensavit. Praesertim autem post funestam cladem Mohacsiensem Eum Coronam Regni Hungariae ambivisse ex Istvánfyo a) discimus; quam alii praeeunte Regni Palatino Stephano Báthory Ferdinandi I. apud Hungaros gloriose regnantis Augustae Domus Austriacae Satoris cervicibus imponendam esse desiderarunt, urserunt. Magnum e duabus hisce factionibus oriturum praeviderat incendium Sigismundus I. Poloniae Rex, qui jam tunc Barbaram Joannis sororem, ut vidimus in conjugio tenebat, praeterea Mater Joannis u. p. Ducis Teschinensis Filia affinitate Jagelonicos Principes tangebat. Quibus nexibus animatus ad illud extinquendum animo paratus pacis inter aemulos stabiliendae negotium in se recepit. Diplomatici hunc in finem Colloquii locum Olomucium singulis finitimum deligere placuit. Adfuere ipsis calendis Junii (1527) a Sigismundo Andreas Crinus Plotzkensis Episcopus, et Christophorus Szydlovicz Regni Poloniae Cancellarius plena agendi potestate missi: pro Ferdinando Jacobus Salza Vratislaviensium Antistes, Alexius Thurzó, Leonardus Harrach Aulae Cancellarius, Andreas Adler Ferdinandi Secretarius, tum Beatus Wiedemann celeber aevi sui Jurisconsultus. Joannes Zápolya Joannem imprimis

a) L. VIII. p. 83.

Ország Infula Colocensi recenter ornatum, non secus Joannem Pálfy, Andream Strigoniensem, et Joannem Statilium Budensem Praepositos publicis his conferentiis interesse voluit. Litis dirimendae moles penes Duum - viros stabat: Wiedemannum puta, et Statilium Oratores. Verum elisis per posteriorem partis adversae momentis concordiae inducendae spe omni evanescente, relata pro intermediatione sua per Sigismundum R. P. apud posteros gloria, Arbitris ad suá reversis amico tractatui deinceps finis impositus; sicque quod calamo placide dirimi potuisset, armorum per aemulos contractorum strepitu decidendum erat!

§. 67.

Joannes Zápolya R. H. victus fugit in Poloniam.

Sine effectu, ut vidimus, soluto Olomucensi Conventu Ferdinandus, et Joannes ad vindicanda sua Jura arma arrippuerunt; verum Joannes per Ferdinandaeos triplici praelio fractus primum in Transylvaniam secessit, inde in Poloniam ad affinem suum optima spe nutritus fugienti similis evasit. Prima illi in Poloniam ingresso apud Joannem Tarnovsky praepotentem regni illius dynastam statio fuit; tardius ad Hieronymum Laszki Siradiensem Palatinum Joannis A. Eppi Gnesnensis nepotem, ab Erasmo Rotterdamo ecquidem multum ob eruditionem aestimatum, sed alias inquieti ingenii, et in turbido piscari amantem Virum divertit. Ubi aliquamdiu commoratus omnes amissum solium rehabendi vias cum suis

familiaribus perquisivit. Prima omnium intentió fuit Franciscum Galliarum Regem in suae causae levamen vocandi; ast comperto eo: copias Ejusdem per Carolum V. Imp. in Italia esse fusas; nec apud Pontificem Clementem VII. quidpiam proficiendo extremam post naufragium tabulam Hieronymi Laszky de evocando Solimanno consilium adoptans Joannes arripuit. Ferunt Joannem ad primam tam scelerati consilii memoriam toto corpore inhorruisse, ast facundia projectantis victus illud ultro amplexus est, qua occasione dicitur illud Virgilii ingeminasse: a) „Flectere si nequeo Superos, acheronta movebo.“ Nefarii hujus plani effectuationem in se assumens Hieronymus Constantinopolim tetendit, quo 22a Dec. (1527) inglorius pertigit, ubi ob non distributa inter purpuratos munera primó exiguam excitavit attentionem, tardius medio Ludovici Gritti *) ad Portam insinuatus in merito legationis suae agere caepit, et hac ratione aeterna oblivione apud Christianos tumulandum illud Foedus nonnisi cum fine Febr. sequentis anni plene coalescere potuit, in cujus contextu annuorum munerum, non item tributorum per Joannem praestandorum oblationem factam fuisse observamus. b) Abiturienti Hieronymo Sultanus pro consolatione Mandatarii 50 majora tormenta, et 500 centenarios pulverum aquis Danubii, et Tibisci submissurum ad nomen sui Prophetae jurans appromisit.

---

a) Istvánfy Hist. L. IX. — *) fuit Is Andreae Gritti Venetorum Doge naturalis filius ad omne nefas resolutus. — b) Vid. Ephem. Laszkianae Leg. quas Cl. Bélius apparatui ad Hist. Hung. inseruit Dec. I. mon. IV.

Reduci Laszkyo ob navatam tam insigniter pro parte Joannis apud Solimanum operam Idem Dunaveczíam ad Popradum amnem arcem, et Késmarkum cum Richno, et Gölnitz perennaliter possidenda dedit. a) Tarnovskyo etiam veteris hospitii, et amicitiae memor Joannes clypeum, et clavam occisi Ludovici Gritti, res 40 aureorum millibus aestimatas regia munificentia donavit. Turloni autem ejusdem viae comiti torquem aureum, ac generosum equum, cujus ephippium ex auro, frenum ex argento fuerat contulit.

Interim Hieronymo apud Byzantinos morante Sigismundus R. P. Statibus suis ad Petrkow indixit conventum; ad quem Joannes C. Franciscum Frangepan ex Ord. S. Francisci A. Episcopum Colocensem creatum, Stephanum Broderichum, ac Melchiorem Várkotsh pro se afflicto suppetitias solicitaturos misit, quorum postulata Ferdinandus per praemissos celeriter Sigismundum Herberstein, Laurentium Bisztritz Albensem Praepositum, et Georgium Logschau Nuncios enervata irrita fecit. Oculi aemulorum pro nunc in Sigismundum defixi erant, sortem suam quoad Hungariam in manibus Ejus repositam facile credebant. Hic bellum civile aversatus medio Petri Opolniczky pro adoptanda pace mense Aprili (1528) Pragae apud Ferdinandum inibi morantem sua interpositione egit; quo nil proficiente principium non ingestionis secuturus suos sub vexillo Joannis militantes protinus revocavit. b) At periclitanti, ut vide-

a) Franc. Forgách L. X. p. 272. — b) Fessler T. IV. p. 403.

mus, in Polonia Joanni, et de animo Solimani adhuc fluctuanti succurrit rara Fr. Georgii Uthysenicsh, sub nomine Martinuzzi *) noti dexteritas; hic ex eremo politicum theatrum subiens eximium, tum in Polonia, cum in Hungaria in procurandis

*) Fuit Is in Croatia Kamisaczi matre Veneta de genere Martinuzzi natus, qua octennis ad arcem Hunyad delatus in summa ruditate 13 annos ibidem exegit, tum in aula viduae C. Stephani Zápolya mediastinus factus, inaudita Patris, Fratrumque suorum morte moerens, literarum prorsus expers eremum Paulinorum S. Laurentii pone Budam subiit; ubi requisitis scientiis instructus ordinari meruit. Qua Procurator Ordinis politicum, oeconomicum, ac mercantilem mundum lustravit. In Vajvodatu Cracoviensi tardius Prior nominatus magnam apud Polonos consecutus est existimationem. Buda depulsum Joánnem Zápolya in Sajóládiensi (C. Borsod) caenobio excepit, pro quo deinceps ternis vicibus in Poloniam pedisavit, resque Illius senescentes mira activitate levavit, de quo Ferdinandus dicere non dubitavit: „nihil se prorsus Joanni Regi invidere, quam unum Cuculatum, qui galeatis decem millibus potior esset.“ (Jovius L. XXXIX.) Vir de cetero ob promptam politica aevi sui problemata solvendi alacritatem nec in moderna Gallia contemnendus, multum de vitae lineamentis cum P. Talleyrand commune habens palpabile edidit efrenis suae ambitionis testimonium, dum Ferdinando Regi in Praefectura Transylvaniae eidem collegam adjungere cupienti his verbis reposuisset:“ cum essem puer, fui primus inter pueros, cum Monachus, primus inter Monachos mei Ordinis, cum essem dispensator in Aula Regis Joannis, primus inter dispensatores, cum essem Consiliarios, primus inter Consiliarios, et qui socium habet, Dominum habet.“

Joanni clientibus Actorem ludere orsus est; ibi quidem Nobilium vulgus, et Primores Sacerdotum ad privatis opibus Eidem adstipulandum perduxit; hic autem plures, eosque potentes partium superiorum Dynastas ad nutanti subveniendum permovit. Exhilaratus his Joannes inter Szina, et Cassoviam locatis castris cum Ducibus Ferdinandi congressus triumphavit. Victoria haec labascentem Joannis animum erexit, ad ultronea perficienda exstimulavit, cujus demum fortunam Solimanus in sequelam icti per Laszkyum foederis in Hungariam appellens ad apicem evexit. Tristem hinc ortam catastrophen exponere, ab instituto nostro alienum foret; inchoatum adhuc prosequamur nexum.

§. 68.

Joannes R. H. ducit Isabellam Sigismundi I. P. R. Filiam.

Post initam cum aemulo transactionem Joannes pro legitimo Hungariae Rege agnitus est. a) Quem usque LII. aetatis annum caelibem interpellarunt Hungari, ut ducendo uxorem orbitati Throni prospiceret. E pluribus sibi propositis delegit Isabellam praestanti, ac vivido ingenio, acri, et plus quam virili judicio praeditam, et tam morum gravitate praestantem, quam Italico lepore, et Polonica venustate peramabilem b) Sigismundi I. Poloniae Regis e secunda consorte Bona Sfortia Mediolanensis Principis filia genitam Virginem. Cujus expetendae ergo Ste-

---

a) Decret. XIII. Art. 21. — b) Wolfgang Bethlen T. I. L. II. p. 288.

phanum Broderichum, et Stephanum de Verbötz Canceliarium suum cum pluribus aliis Procuratores in Poloniam dimisit, qui expletis sibi imperatis de futuro Matrimonio hunc in modum convenerunt: a) „Quandoquidem Serenissimus Sigismundus Poloniae Rex cum filia sua Isabella ratione dotis offerebat 70,000 aureorum boni, purique auri, et justi ponderis, ideoque requisivit, ut Serenissimus Joannes Hungariae Rex in hac praespecificata summa, et in aliis 70,000 aureorum ratione dotalitii adscriptis, ita, ut simul juncta summa 140,000 aureorum Ser. Isabellae inscribat, et obliget in Regno Hungariae Arces, civitates, oppida, villas, summae praetactae, et proventibus ab ea debitis aequi pollentes: et quidem majoris securitatis ergo cum consensu tam Caroli V. Imp. quam et Ferdinandi Romanorum Regis. Et eorum quidem bonorum Praefecti juramentum super fidelitate Ser. Isabellae debita praestent. Quod si contingeret prius e vivis excedere Seren. Joannem Hungariae Regem ipsa Regina Isabella, visumque fuerit Illi renovare nuptias, bona Suae Majestati inscripta, et obligata non possint singulatim, et seorsim de manibus suis redimi, nisi prius deposita summa 140,000 aureorum: quod si contingeret Ser. Isabellam sine liberis decedere, summa 70,000 aureorum, quam secum importavit, ad Successores Ser. Poloniae Regis, alia autem 70,000 aureorum, quae Ipsi fuerat nomine dotalitii adscripta, ad Successores Ser. Mariti ipsius Joannis Regis Hungariae redire debebit. Postquam vero Ser. Isabella copula

a) Idem p. 276.

carnali cum Ser. Marito suo conjuncta fuerit, tenebitur in praesentia eorum, qui suam Majestatem in Hungariam deducent, de omnibus bonis paternis, et maternis, omnique jure possessionario abrenunciationem sufficientem facere, nec quidquam juris amplius sibi praetendere. Quod si forte Caesarea, et Romanorum Regia Majestas adduci non possent ad obliganda juxta praemissas conditiones bona, consensum suum super ejusmodi inscriptione denegantes, in tali casu summa 70,000 aureorum nomine dotis importata, aut apud Illustrissimum Ducem Venetorum, aut in Fagaras in sequestro deponatur, nec prius moveatur, donec aliquod idoneae cautionis genus fuerit excogitatum, quo prospici possit indemnitati, securitatique Ser. Isabellae, et summae inscribendae." Contractu hoc Matrimoniali Cracoviae in diploma relato, ac 1a Febr. 1539 in manus Regis Sigismundi tradito, nomine Ejusdem Samuel Maciejovszky Ep. Chelmensis Vice-Cancellarius Poloniae respondit, expetitumque rati habuit Matrimonium: „Quo intercedente, cetera inter ajebat, novo amicitiae foedere, non solum utramque regiam familiam, verum vicinaquoque Hungariae, et Poloniae regna tanto firmiori nexu, et ferme adamantino vinculo junctum iri." Adurgentibus Hungariae Oratoribus mox nuncupatum est utrinque juramentum. His per reduces ad Joannnem perlatis exhilaratus, propositas conditiones acceptans ad deducendam Sponsam eundem Stephanum Broderichum, Petrum Perényi, et Stephanum Drugeth de Homona deputavit. Illi impensius sibi commendatam Sponsam in Hungariam deducunt, ac primum Cassoviam, inde magnifico appa-

11

ratu Budam perveniunt, tandem incolumem Albam deduxere, in cujus campo erecta erant aliquot tentoria Phrygii operis, in quibus Rex Sponsam excepit, ibique post junctas dextras, institutisque mutuis colloquiis in Urbem regressus nuptias, et coronationem Reginae regio more peregit. Verum Sponsae hujus deliciis non diu frui licuit Joanni; motus enim in Transylvania excitatos compositurus eorsum properavit, ubi inaudiens 7a Juliii Filium Patris, et Avi (Joannis-Sigismundi) nomen indeptum sibi natum esse, justo plus tripudians jam jam morbo e nimio solis aestu, et veloci vectatione acquisito ejusdem mensis 21 (1540) Szász-Sebesini vitae suae finem obtinuit.

§. 69.

Ejusdem Viduae Isabellae fata.

Joanne fatis functo Vidua Isabella sub directione Triumviratus e Georgio Martinuzzi, Petro Petrovits, et Valentino Török, quá relicti pupilli Tutoribus conflati manserat, e quorum insanis consiliis, dum Ferdinandus H. R. in nexu pacis 1538 cum Marito ejusdem initae, sed nec dum publicatae partes S. Coronae incorporandas repeteret, ea palam confisa Solimani patrocinio, accedente etiam Sigismundi P. R. Genitoris sui annutu, se arma armis opposituram renunciavit. a) Dimicantibus ita pro regno partibus, tertius gaudebat haeres Solimannus, qui cum exercitu in Hungariam veniens pupillo infanti vestes auro textas quatuor, aureum monile, equos

a) Jovius L. XXXIX.

militares tres cum pretiosa supelectili, ac praesertim ephippiis pulcre, et affabre factis, cum tapetibus, et catenis aureis, et singulis, qui cum Isabella fuerunt, Senatoribus vestes thalares, et aureos torques, ipsi demum Reginae annulos cum gemmis immensi pretii, et torques valde insigniter elaboratos, ac Babylonicae subtilissimae telae ad capitis, et corporis ornamenta certum numerum submisit. a) At paulo occupata per fraudem Buda Eandem cum Filiolo in Transylvaniam relegavit, quae Albae Juliae sedem suam, inde diggressa 27. Jul. (1542) Marito suo regali pompa parentavit. Postea tota ab unius Martinuzzii pendere caepit arbitrio; unde Ferdinandus hoc prius sibi per Legatos Nicolaum a Salm, et B. Sigismundum ab Herberstein conciliato in Comitiis Maros-Vásárhelyini convocatis Isabella jam jam ad pangendam pacem propendebat, ni perversis Petrovitsii suggestionibus in transversum acta fuisset; ad extremum tamen Solimanni perfidia delusa, et adventantis Castaldi viribus territa (1551) in haec pacificationis capita ultro concessisset: ut Transylvaniam Hungariamque Tibiscanam cum praesidiis omnibus bona fide restitueret, ac omni in regnum juri ex pactis 1538 initis renunciaret. Ferdinandus ex adverso eidem obtulit dotis 140,000 fl. hung. aestimatae loco 100,000 aureos cum Opoliensi in Silesia Ducatu, ac totum insuper patrimonium Zápolyaianum, pollicitus una se Joanni Sigismundo Filio, ubi adoleverit, Filiam suam A. Ducem Joannam conjugem daturum. In quorum seque-

a) Bethlen L. III. p. 379.

Iam Isabella habitis Claudiopoli Comitiis intra solemnia Missarum data fide S. Coronam cum ceteris clenodiis manibus Thomae de Nádasd, et Andreae de Báthor resignavit inter tradendum non sine muliebri gemitu vaticinata: a) „Sacro illo diademate nunquam deinceps Hungarum coronatum iri.“ Subscripta hunc in modum pace Vidua cum pupillo Cassoviam movit, inde aerumnis vexata ad Fratrem suum Sigismundum Augustum, qui 1545 decedenti Patri succedens in Polonia regnabat ultimus e Stirpe Jagellonica Princeps, migravit, ibidemque Warsaviae per Fratrem, Matremque adhuc superstitem sustentata brevi tempore mansit. Hinc movit Cracoviam, postea vero ad Eandem se Crepiciam conferentem Sigismundus Frater divertit, et post multa cum Illa instituta colloquia, quum animadverteret: ducatus hos priori conditioni sororis suae minus correspondere, inopiam Ejus Panocensi, et Crepicensi Praefecturis sublevavit, quibus Mater Wielunum adjecit. Interim Isabella aliquot tantum mensibus Oppoliae commorata, cum aedificia ejus loci ita desolata essent, ut reparandis ne totus quidem anni unius reditus sufficeret, multum apud Ferdinandum de implemento tractatus questa, iterum in Poloniam ad Matrem remeavit, quae calamitatis Filiae miserta possessionem Samboriensem cum amplissimis proventibus ei cessit. Eodem tempore Frater Sigismundus Catharinam Ferdinandi Filiam, et Mantuani Ducis Viduam in thori sociam expetitam accepit; Isabella vero miseriarum pondere pressa me-

a) Idem L. IV. p. 492.

dio Petrovich apud Turcas de recuperanda Transylvania egit. Quibus ad id pronis existentibus coactis per Ordines Transylvaniae Comitiis Franciscus Kendy pro reducenda Regina cum filio missus est. De mente provinciae hujus Procerum edocta Regina, acceptis a Fratre literis Leopoli 23a Sept. relicta Munkácsinum versus cum 500 equitum, et totidem peditum splendidissima Polonorum frequentia procedens in confinio per Stephanum Báthory salutata, atque 22a Oct. 1556 in Transylvaniam deducta amissum Solium recepit, quo per quadriennium potita multa imprudentiae, et crudelitatis specimina edidit. Suspectam Illius cum Stanislao Nisoczky Gentis suae Viro ne memoremus, magnam Eidem inurit infamiam neglecta Filii Joannis Sigismundi educatio, quem constanter in gynecaeo velut carcere quodam clausum tenebat. Eodem adhuc anno pro die S. Catharinae dicato Claudiopolim Comitia generalia indixit, in quibus nomine Filii 15 aetatis annum agentis Transylvaniae gubernacula capessivit; in iisdem bona Ecclesiastica, et census Cathedrales Filio regio ex parte cesserunt. a) Multis dein per vitam cum Ferdinando implicita contentionibus, misso Gallicae affinitatis consilio, de pace firmanda cogitare caepit. Interim morbo graviore correpta praeter suam, et Medicorum opinionem quinta post expeditum ad Fratrem Nizovium die vitam prius cum morte 15a Sept. (1559) quam tabulas foederis cum Ferdinando commutavit. b) Corpus Illius

---

a) Lampe Hist. Eccl. Ref. in Hung. p. 117. — Bethlen L. IV. p. 626.

adornato regali apparatu Albae-Juliae in Templo majori reconditum est, an virtuti majorem in corde suo, quam vitiis dederit locum? Scriptores acrius dimicant. Mors Reginae hujus nobis novam de praesenti parit epocham; hac enim decedente apud Hungaros unicus legitime regnabat Ferdinandus; apud Polonos autem non multo post (1572) tumulo illatus Sigismundus II. e vetusta Lithvanica Jagellonum propagine ortorum Regum agmen clausit; acta deinceps e diversis Domibus lectorum Poloniae Regum, in quantum nostram materiem ferient, in mox evolvenda Periodo expendemus.

PERIODUS IV.

(Ab Anno 1560—1772 et deinceps.)

§. 70.

Sigismundus II. P. R. pro Joanne — Sigismundo Zápolya apud Reges Hungariae intermediatorem agit.

Sub auspiciis, Periodi hujus, quam ordimur, Joannes — Sigismundus (Zápolya) persolutis Reginae exequiis ad Ferdinandum Michaelem Csáky, et Christophorum Hagymássy novis conditionibus instructos, expedivit Legatos, et quo major legationi huic accederet energia a Sigismundo Augusto quoque Poloniae Rege, ejusdem Avunculo missus est Nicolaus Przerembski A. Episcopus Gnesnensis. Ast Legati hi cum grandia postularent re infecta redierunt. Mortuo demum (1564) Ferdinando sereniorem sibi affulsisse solem putabat Joannes; ea propter Stephanum Báthory ad Maximilianum H. R. sequenti statim anno deputavit. In eodem negotio eodem tempore per Regem Poloniae inviatus ad Caesarem Romanorum Joannes Krassitzky Plocensium Antistes comparuit; verum quominus legatio haec optatum effectum sortiretur Casparus Békeny a Porta redux quaeque favorabilia Joanni referens in causa fuit. Decisio igitur subversantis controversiae armis utrinque arreptis

relinquitur, a quibus non prius cessatum est, quam dum Joannes se a Turcis insigniter delusum esse vidisset. Post varia tandem discrimina rerum iterum Békenyus, cui a Rege Poloniae Adamus Konarsky Episcopus Poznaniensis adjunctus est, ad Maximilianum ivit. Qui ubi primum Pragam, dein Spiram pervenissent secreto legationem, praesentibus tantum Joanne Transon, et Valero; ex Hungaris vero Joanne Liszthio Episcopo Veszprimiensi exposuerunt, ubi tandem sub notis conditionibus ad nostram sphaeram haud pertinentibus (1570) foedus percussum est. a) Cui non diu supertes mansit Joannes Sig. anno enim sequenti in lethalem morbum incidit, quo etiam post 54 dierum phreneticas convulsiones Albae-Juliae 14a Mart. aetatis 31 anno decedens, qui Unigenito Dei Filio, ut Cl. Pálma polemisat, Divinitatis gloriam eripere conatus Ipse florentem aliquot saeculis Zápolyiorum familiam secum tumulo intulit. E cujus condito testamento in rem nostram pertinentia haec excerpimus: b) „Regi Poloniae Sigismundo Avunculo suo praeter tentoria Phrygio opere elaborata, ac castrensem apparatum, argenti vivi 40,000 pondo peculiaribus codicillis legavit. Quod reliqum gazae erat, eidem cum tribus sororibus (e Barbara Zápolya genitis) illius aequis partibus dari jubebat."

a) Istvánfy L. XXIV. a p. 317. — b) Bethler L V. p. 207.

§. 71.

Stephanus Báthory in Regem Poloniae eligitur.

Plures e Jagellonicis Poloniae Regibus magno suo in Nationem Hungaram, praeferenter vero terram Scepusiensem influxu gratam apud posteros sui memoriam reliquerunt. Sic Sigismundus I. confirmavit Podoliensibus libertates a suis Decessoribus concessas. a) Idem aprobavit omnia XIII. Scepusii Oppidorum privilegia; b) non secus SS. in iisdem desudantium Curionum immunitates ratas habuit, mandavitque suis Praefectis, ut Eos in iisdem conservent, ac tueantur. c) Ita animatum deprehendimus, et Sigismundum II. qui Oppidanis Scepusiensibus ultro concessit, ut metalla in Poloniam invehere, salem Bochnensem extra Sandecium emere, et per regnum Illius libere negotiari possint. d) Hoc postremo e Jagellonicis sine masculo haerede exstincto 18a Jul. (1572) Henricus I. Valesius Caroli IX. Galliarum Regis Frater prae aemulis Ernesto Austriae Archi-Duce, et Joanne Basilide Mosco a Poloniae et Lithvaniae Proceribus Rex electus nobilissimo Gallorum comitatu stipatus 1574 Cracoviam appulit. Verum praeattacto suo Fratre in Gallia sine prole decedente per Matrem Elisabetham Austriacam ad Gallicum Sceptrum capiendum revocatus 18a Jun. e. a. Poloniam deserens novi Regis eligendi libertatem per literas Senatui reliquit. Quare 15a Jul. a. sequ. Thro-

a) Wagner An. Scep. P. I. p. 224. — b) Id p. 226. — c) p. 282. — d) p. 233.

no Poloniae vacante declarato ad 3am Oct. Varsoviam Conventus indicitur, ad quem, ut Stephanus Báthory de Somlyó antiquo apud Hungaros Stemmate natus, modo Transylvaniae Princeps Legatum pro se peroraturum mittat, Samuel Zborovszky Petri Palatini Cracoviensis germanus eidem impensius svaserat, quem praeviae Senatoribus ab eximiis animi, corporisque dotibus laudatum Solio Poloniae dignum projectabat. Occasionem indipiscendae non sine Numinis ope tantae dignitatis pronus arripuit Báthoryus; quare Emericum Sulyok Transylvaniae Cancellarium, ut nomen suum inter alios Candidatos Regni rite profitendi faciat copiam, eorsum misit, a quo redeunte de Comitiis electionis ad mensem Decembris dillatis certior redditus Georgium Blandrata Medicum suum (Unitarium) eodem fine secunda vice Varsaviam delegavit, ac demum tertium adjecit Martinum Berzeviczy ea cum intructione, quatenus etiam contra Maximilianum, pro quo Joannes Cobencelius, et Andreas Dudics omnia impenderunt, compentitorem ageret. Interim collecta suffragia ad Joannem Kostka Palatinum Sendomiricensem, et Andream Comitem a Tenczyn Palatinum Belrensem delata sunt, quorum neutro mederationem tenente Caesareani prope muros civitatis cum A. Episcopo Gnesnensi, et nonnullis subsistentes de Maximiliano eligendo consultarunt; in loco autem Comitiorum momenta pro Báthoryo inclinabant. Sub idem tempus Amurathis etiam Csauszius adveniens literas in eadem causa missas Senatui praesentavit. Electio itaque Báthoryana 14a Dec. e. a. in Senatus-decretum abivit; Andrejoviae anno sequenti ea inter ceteras

conditione firmata: ut Is Annam Jagellonidem Sigismundi I. Filiam Infantem Poloniae in uxorem ducat. His ad se per Deputationem regnicolarem delatis Báthory nihil amplius cunctatus in comitiva multorum e Transylvania Magnatum retento sibi Transylvaniae Principis titulo Alba-Julia ineunte vere 1576 versus Poloniam vadit, in cujus limitibus per Stanislaum Solyk salutatus inter festivas acclamationes ad arcem Cracoviensem introducitur; ubi junctis cum Anna dextris privilegiis, atque immunitatibus Nationis juramento elicito roboratis in maximo regnicolarum concursu in Templo S. Stanislai a Carnkovio Episcopo Wladislaviensi 1a Maii e. a. regni diademate insignitus est. a)

§. 72.

Ejusdem, qua Regis Poloniae merita.

Ne partium studio veritatis alioquin sepulcro in describendis Stephani Báthory, qua Poloniae Regis meritis agitari videamur, pleraque e Martini Crومeri * Scriptoris Poloni compendio Historiae suae praemisso depromenda censuimus. Quo perhibente regimen Poloniae auspicatus maximarum discordiarum semina primo adventu oppressit, Rempublicam e turbatissima tranquillam reddidit; receptis in gratiam Gedanensibus diu cum Joanne Basilide Moscorum Duce Polonis multum infesto ab a. 1579 bellum

a) Bethlen T. II. L. VI. a p. 387—430. — *) Cum Scriptorem hunc 1548 jam decessisse superius sub c) §. 5. notaverimus; hic et deinceps ejusdem editorem, aut continuatorem intelligimus.

gessit, cui Polociam Urbem, item Ostroviam, nec non Rigam principalem Livoniae Urbem eripuit, ac pactis cum eodem sexennalibus induciis limitaneos milites ad arcendos hostium incursus meliorem in ordinem redegit. Ad cohibendos Tartaros Quartianos dictos milites disposuit, quo facto Ukrania antea turbata nunc Urbibus, et pagis ornari, frequentarique caepit. Cosacos etiam antea indomitam gentem humaniores reddidit, eorumque pedestrem militiam ordinavit. Duo in Polonia, totidem in Litvania instituit tribunalia, quae supremo jure Equestris Ordinis causas definiant. XIII Scepusii Oppidorum immunitates editis (1578) literis ratas habuit — et Nobiles Lubloviae agentes onera civilia supportare jussit. a) Dum Rigenses studio amplificandae Religionis Catholicae obsistentes armis ad obsequium redigere statuit, improviso mortuum perhibet Grebnerus. b) Piasecius autem scribit successionem in regno Poloniae ad Báthoreos traducere meditantem Grodnae 13a Dec. 1586 repente elatum. Praeter insignem Ejusdem virium moralium evolutionem, physica Illius lineamenta Salamon Neugebaverus c) sequentibus adumbratum it. — — „Fuit corpore quadrato, ac statura mediam paulo excedente, facie dignitatis plena, capillo nigro, colore fusco simul, et rubente, naso subsimo; qui ob morbi vim prostratis jam viribus, et hora mortis instante animam suam Deo reddens, usus est his verbis: „In manus tuas Domine! commendo spiritum meum.“ His con-

a) Vagner An. Scep. P. I. p. 235. — b) L. XVI. p. 939. — c) Bethlen p. 522.

sonat praelaudatus Cromerus a) hoc Ei elogium attribuens: Fuit Is

In Templo, plus quam Sacerdos.
„ Republica, plus quam Rex.
„ sententia dicenda, plus quam Senator.
„ judicio, plus quam Juris consultus.
„ exercitu, plus quam Imperator.
„ acie, plus quam Miles.
„ adversis perferrendis, injuriisque condonandis, plus quam Vir.
„ publica libertate tuenda, plus quam Civis.
„ amicitia colenda, plus quam Amicus.
„ convictu, plus quam Familiaris.
„ venatione, ferisque domandis, plus quam Leo.
„ tota reliqua vita, plus quam Philosophus.

§. 73.

Influxus aliorum in Polonia post Báthoryum Regnantium in Hungariam.

Jure liberae electionis in Henrico Valesio inchoato, atque in Báthoryo continuato usi Poloni, post fata posterioris votis Nationis Thronum Poloniae conscendit Sigismundus III., qui ex Anna Austriae Archi-Ducis Caroli Filia Wladislaum VII. post se regnaturum suscepit, qua 1598 defuncta ejusdem Sororem Constantiam obtenta Pontificis venia 1605 sibi junxit uxorem Matrem Joannis II. Casimiri post Wladislaum VII. regnaturi. His Matri-

a) Idem p. 528.

moniorum vinculis indivulsus manserat Regum Poloniae cum Augusta apud Hungaros Gloriose regnante Domo genealogicus nexus usque Joannem III. Szobieszky nuncupatum, cujus defectum Hic insigniter compensavit postea heroico suo periclitanti Viennae, et per id Hungariae succursu. 1683 Kara Mustapha Vezérius cum 300 armatorum millibus devastatis Hungariae agris ipsam plane Austriae Viennam ad ictum destinat, cui trepidanti opportuno sane tempore praefatus Joannes III. XXVI. Polonorum millia sub vexillo suo numerans in auxilium properarat. Post atrox plurium horarum certamen Turcae multis suorum millibus desideratis, relictis castris, et impedimentis in effusam fugam abiere. Accepto tam illustris victoriae nuncio Leopoldus I. (M.) Viennam Principibus, praesertim autem Joanni Regi Poloniae gratias relaturus rediit. Quo tempore non levis inter Aulae Ministros exorta fuit disceptatio de modo, quo Leopoldus ad se venientem Poloniae Regem excipere debeat? Gordium facile secuit nodum Carolus Lotharingus dicens: illud quam maxime convenire, ut Leopoldus Imperator, et Rex Hungariae in Joannis Regis Poloniae velut amici optimi, ac liberatoris sui amplexus rueret, sicque gratitudinem suam Eidem testaretur. a) Fructus victoriae hujus ennarrare, non est nostri argumenti; pro grata memoria dixisse sufficiat: praesentem Polonorum succursum magnum ad eliberatam paulopost e manibus barbarorum Hungariae Metropolim Budam habuisse influxum.

---

a) Pálma P. III. p. 363.

§. 74.

Scepusii Oppida S. Coronae Hung. restituuntur.

Gloriosum Mariae-Theresiae regimen peculiarem figere debet in cordibus Hungarorum epocham, Cujus utpote magnae in Nationem Hungaram propensionis, Regiaeque munificentiae iterato testatae plurima documenta perennant. Missis aliis innumeris Ejusdem beneficiis XVI. Scepusii oppidorum ad S. Hungariae Coronam reincorporationem Clementer factam homagiali devotione saltim recolendam hic loci suscipimus. 360. jam effluxerant anni, a quo memorata Scepusii oppida per Sigismundum Hungariae Regem, ut superius recensuimus, Wladislao Jagelloni Poloniae Regi in pignus data alieno dominio parebant. Tam pretiosum hoc pignus tam diuturno tempore in alienis manibus haesisse, neque per aliquem Divae Reginae Antecessorum revindicatum fuisse nemini mirum videbitur, qui miras abinde Hungariae vicissitudines aequa mente libraverit. Quis ignorat Orientis Lunam jam sub ipso Sigismundo, duobusque Ejus successoribus horisonti Hungarico novilunio suo illusisse? cujus noxia incrementa promoverunt Reginam inter Elisabetham, ac Wladislaum I. Regem H. perniciosae domestici incendii flammae. Multum ecquidem increscentem Lunam obscuravit rutilum Mathiae Corvini Sydus; hic tamen maluit nervum suum in domandos Fridericum, et Podiebradum majorem messurus gloriam succidere, quam per suos Antecessores oppignorata tranquille redimere. Magni Regis Orbi notus ab iner-

tia successor non fuit tanti, ut aliquid meritorii hoc in passu audeat, sub cujus Filio post Nationi Hungarae deplorandam cladem ad Moháts plena tandem Luna suam in Hungariam pestiferam effudit lucem, qua per semi alterum prope saeculum athmosphaeram Regni horride convellente optime secus animatis de Augusta Domo Austriaca descendentibus Regibus Apostolicis modus ereptus est, quominus intuitu recipiendorum oppignoratorum XVI. Scepusii Oppidorum quidpiam agere valuissent. Revindicata tandem sub Leopoldo M. Buda, compositisque domi motibus diuturnam, eamque totalem passa est Luna Ecclypsim. Mariae Theresiae itaque nonnisi obtigit ille desiderio Nationis Hungarae litandi honos, sub qua utpote immortali Hungarorum Domina in Comitiis 1751 jam de redemtione XIII. Scepusii Oppidorum procusus exstat Articulus 11, annis 1764 et 1765 a) repetitus inclusa castriquoque Lublo revindicatione. Quod tantis Nationis votis adusque sine effectu homagialiter postulatum erat, id tandem aeternis fastis inserendo beneficio Maria-Theresia 1772, cumulate praestitit, quando imputato tot saeculorum in sarciendam per Sigismundum R. H. levatam summam proventu toties fata Scepusii oppida a Polonis recepit. b) Quem in finem Excel. ac Illustrissimum D. Joannem e Comitibus Csáky de Kereszszegh, terrae Scepusiensis perpetuum, ac Supremum Comitem, Intimum Status Consiliarium etc. ad eadem, qua Commissarium Regium Altissimo suo nomine delegare dignata est; qui effective Augustae Apostolicae Hun-

a) 1765 : 15. — b) Fessler. T. X. p. 189.

gariae Reginae conceptis solennibus verbis nuncupatum a XIII. oppidorum Primoribus fidelitatis sacramentum die 5a Novembris Divo Emerico Hungariae Duci sacra excepit Igloviae, seu Neovillae in Ecclesia Parochiali. Eodem prorsus ritu Arcem Lubloviensem cum adnexa ditione, oppidumque Podolinense quinta post die Augustae Principis juribus auctoravit. a)

§. 75.

Maria-Theresia R. H. in primam divisionem Regni Poloniae influit.

Intestinis motibus enervata Polonia jam dudum ad interitum properabat, quem jam Joannes Casimirus 1668 se regno abdicans subsecuturum praedixerat. b) Maximam inter ceteras Regnum hoc succussionem sensit sub regimine Stanislai Poniatovski per exitialem Nobilium ad anarchiam adspirantium pruritum, et caecum nonnullorum, praeferenter Cajetani Solyk Cracoviensis Episcopi, et Massalski de Vilna Dissidentes persequendi zelum causatam. Totius jam molis partibus ad resolutionem pronis vicinae Aulae evigilarunt illud jam momentum supervenisse ratae, quo toto in sua integritate amplius salvari nequeunte; partes adminus ab oligarchia praeservarentur. Hinc ad planum divisionis per Venceslaum Kaunicz Aulae Austriacae Status Ministrum elaboratum Fridericus II. Borussiae Rex rescripsisse di-

a) Anal. Scep. P. I. p. 213. — b) Christ. Koch, Gemählde der Revol. in Eur. T. III. p. 95.

citur: a) „Non est mihi animus trium Potentiarum jura in Poloniam velicare, et explanare; circumstantiarum attamen praesentium concursus in regni divisionem meum consensum necessarium reddidit, per quem unice commune bellum evitari potest.“ Cujus attentionem mox excitavit immissus in recepta per M. Theresiam XVI. Scepusii oppida Hungaricus miles, sicut et locatus in confinio exercitus ad avertendam ab Hungaria trans Carparthum saevientem pestem destinatus eandem auxit. Zelum hunc aemulantibus Aulis Berolinensi, ac Petropolitana planum divisionale jam pridem animis insitum palam maturuit, cujus effectum Polonis Varsaviae congregatis in obversum magnopere obnixis Minister Russicus 2 Sept. 1772 immisso exercitu acceleravit. In hujus sequelam e 13,000 milliar. quadr. totum Regnum eo tum efficientibus 4,000. mil. □ sunt avulsa 9,000 mil. □ adhuc apud Polonos relictis. Ex avulsis Borussia praeter Dantiscum, et Thorn e M. Polonia. Circulum Necensem sub nomine Pomerelliae olim ad Pomeraniam spectantis, seu 631. m. □. — Russia Finlandiam Polonicam, item Poloczkensem, Vitepstiensem, Mscislaviensem Palatinatus, ac e Minszkensi partem, seu 1975 m. □ obtinuit. *) Demum M. Theresiae praeter Scepusii oppida indefesso studio Ablegati sui Ca-

---

a) Lassú István Lengyel Ország Stat. p. 75. — *) Christ. Koch notat per divisionem hanc Borusso 1061 m. □ et 1,150,000 incolar. in 262 civitat. 8,274 pagis — Russo 390 civitates, et 5385 pagos — Austriae demum 1,300 m. □ cum 700,000 incol. accessisse.

roli Revitzky obtigit, quod a dextra Vistulae rippa ducto a limitibus Silesiae initio usque Sendomiriam ad confluentem amnis Sani, tum recta linea praeter Zamoscium ad flumen Bogum, ultraque secundum Russiam rubram ad Tyram fluvium secreto inter Moldaviam, et Pocutiam limite tenditur, quo ambitu ducatus quoque Ositzensis, et Zatoriensis jure Regni Bohemiae comprehensi erant, a) seu 1280 mil. □.

Hoc in tractu Gallicia, ac Lodomeria inclusa jure postliminii per multos b) in flagranti vindicato quaerenda venit, quas provincias immortalem M. Theresiam titulo juris S. Coronae Hungaricae legitimo modo, ut suis locis indicavimus, acquisiti, et adusque intemerate conservati occupavisse Scriptores etiam exteri concorditer promunt. Sic Joannes Godefridus Eichhorn: c) Monarchiam Austriacam in cointelligentia cum Russica a. 1770 comperto in partibus Poloniae grassantis pestilentiae malo limitaneum praesidium primum eo adduxisse, tum propagato, quo Polonia miserum in modum ardebat, incendio copias suas trans Carpathum in Galliciam, et Lodomeriam promovisse, easque terras tamquam olim juris Hungarici indubitatas occupasse tenet. In cujus sententiam abit et Cl. Fessler d) praetendens: Eandem M. Theresiam H. R. in nexu jurium S. Coronae ab antiquo competentium, ac nunquam anti-

---

a) Pray Per. Austr. p. 424. — b) Franc. Adam Kollár vorläufige Ausführung der Rechte des Königreichs Hungarn etc. Vind. 1772 — Pálma de titulis M. Theresiae etc. — c) Weltgeschichte T. V. §. 286. p. 194. — d) T. X. p. 189.

quatorum quaestionatas terras ditionibus suis inseruisse. Cujus auspiciis Christophorus Vilh. Koch a) plano oposculum sub titulo: „Jurium Hungariae in Russiam minorem, et Podoliam, Bohemiaeque in Osvicensem, et Zatoriensem ducatum praevia explicatio Vindobonae 1773“ instar Manifesti procusum memorat. Pondus his addit Aemilianus Janitsch de Austriaca gloriosa Monarchia per editam pluribus voluminibus vicissidudinum ejusdem historiam multum meritus, qui de accessione per Galliciam, ac Lodomeriam Monarchiae facta disserens b) ait: jam 1084 S. Ladislaum R. H. terras has Coronae S. fiduciarias fecisse, quam clientelam 1185 sub Bela III. spontanea Principum oblatione, vel maxime autem sub Andrea II. jam Galliciae, et Lodomeriae Regis titulo ad posteros propagato utente firmatam esse statuit, adjungitque: magnae memoriae M. Theresiam terras has occupando non aliud praestitisse, quam interruptum sub Hedvige Hungaricae jurisdictionis in easdem exercitium reassumpsisse. Terris his e consensu Scriptorum a se dissitorum arguendo jure Hungarico occupatis extemplo C. Andreas Hadik Campi Marschallus Natione Hungarus gubernandis praefectus est, qui cum Nationis lingvam nosset, et consveta, sibi in omnes moderatione uteretur, haberetque a militari scientia apud Nobiles magnam nominis existimationem, brevi effecit, ut mutatos Dominos aequanimiter ferrent. Tam bene, utiliterque de utraque Provincia meritum Regina Viennam

a) T. III. p. 98. — b) Geschichte der Deutsch-Oesterreichischen Monarchie T. VI. p. 245.

accersitum Consilii Bellici primum adusque ex Hungaris Praesidem declaravit. *) Haec fide Historica enarrasse ad nostrum pertinuit scopum, quae realia S. Coronae Jura intuitu reaplicandarum harum provinciarum Patres Patriae documentis etiam e Tabulariis publicis petendis obvallaturos devoti speramus. Quo facto hic ad incudem per nos positus Nationis Hungarae cum Polonico genealogico-polemicus nexus adusque pragmatice diductus ad finem vergit; quae enim tardius cum Polonia contigerant, ob remotum cum argumento nostro nexum consulto praeteriremus, ni eorum succinctam recensionem claritatis ratio a nobis expostularet.

§. 76.

Subsecuta secunda, et tertia Poloniae divisio

Peracta prima Regni Poloniae divisione crescentibus ultro factionibus 1793 adurgentibus Russis subsecuta est altera, vi cujus iidem e relicto Polonis tractu suis rursum implexuerunt terris 4,253 mil. □ residuam ut pote de Polozkensi, et Minskensi Palatinatu partem, dimidium de Nowgorodekensi, ac Brzescensi, Polonicam item Ukraniam, Podoliam, et Volhyniae Orientalem plagam, in quibus 3,000000 incolarum censebant. Borussi autem, ad quos trapezium regni sui reducere spectabat, tempestate hac

*) Itaque modernus Exc. C. Ignatius Gyúlay de Nádaska etc. est alter ex Hungaris Consilii Bellici Praeses Clementer nominatus.

Posenensem, Gnesnensem, Kalisiensem, Sieradcensem, Lencziciensem, Palatinatus, Ravae dimidium, Dantiscum, et Thorn, Brzescensis Palatinatus itidem partem unam, Dobrzynense, et Czenstochoviense castrum, seu 1,136,000 incolarum sibi subjecerunt. Tanta jactura affectos Polonos desperatio audaciam sumere impulit; post celebratum itaque 24a Mart. 1794o Cracoviae conventum antesignano praenobili Kosciuszko armati impositum cervicibus suis per Russos jugum excutere parant; ast confoederatis in Volhynia sub Sierakovszky dimicantibus ad Brzec per celebratum Rusiae Ducem Suvarow dispulsis; ipso etiam Koszciuszko ad Maczievic *) 10a Oct. per Gen. Fersen extrema clade attrito sortem suam adhuc multo acerbiorem reddiderunt, quam praesentiens Kosciuszko saucius de equo inter haec verba. „Finis Poloniae" conciduus in manus hostiles incidit. Tunc demum perfecta est tertia exuviarum Polonicarum divisio; tenore cujus Imperium Russicum iterum 2030 mil. □ cum 1,200,000 — Borussia 997 mil. □ et 1,000,000 — denique Austria 834 mil. □ et 1,000,000 incolarum acquisivit. Particulares hae accessiones in summam coactae pro Russis: 8,258 mil. □ ac 4,600,000 incol. — Borussis: 2,688 mil. □ et 2,550,000 inc. — Austria demum: 2,114 mil. □ et 5,000,000 incolarum efficiunt. a) Quibus peractis ex albo Statuum Europae evanuit olim florens Poloniae Regnum, donec nova e cineribus per Alexandrum Russiae Imperatorem re-

*) 12 milliaribus distat Varsovia. — a) Lassú István a' Lengyel Királyság. 78 lap.

suscitaretur Phaenix. * Sed cum hac nulla Hungariae intercedit necessitudo.

* Non injucundum putamus hic loci succinctam novae hujus Poloniae adnectere Topographiam:

Incolas habet stricte Polonos:	2,670,000
Germanos:	10,000
Lithvanos:	230,000
Graecos, et Tartaros:	1,200
Russos:	410,000
Judaeos:	220,000
Zingaros:	800
Insimul „ „	3,542,000.

E quibus titulum Principis gestiunt Familiae 12. (qui 5000 fl.) Comitum 74. (qui 3000) Baronum 20 (qui 1000 fl. a tenutis suis in Aerarium publicum annue inferre valent) reliqui sunt Nobiles — Sacerdotes — Cives — ac plebei populum modernae Poloniae efficientes, jureque Ablegatorum ad Comitia mittendorum gaudentes. — Habitant autem secundum Galetti, et Hassel in 8 Praefecturis, quarum

1	est	Ploczkensis	ad	290	mill. □	extensa
2	„	Masoviensis	„	321	„	„
3	„	Kalisiensis	„	321	„	„
4	„	Cracoviensis	„	211 1/2	„	„
5	„	Sandomiriens	„	282 1/4	„	„
6	„	Lublinensis	„	317 1/4	„	„
7	„	Podlachiensis	„	228	„	„
8	„	Augustoviens	„	322	„	„

Itaq. tota extensio facit: 2,293 millia □.

In his sunt Civitates, et oppida 482 — pagi

22,694 — ac universim domus: 82,730. — E civitatibus eminent:

Varsovia	cum	4,000	domibus,	116,250	incol.
Lublinum	„	1,829	„	10,300	„
Kalis	„	610	„	7,300	„
Plock	„	800	„	6,000	„
Kielc	„	800	„	5,000	„
Zamosc	„	400	„	3,500	„

Status passivus antiquus cum novo coadunatus secundum tractatum a. 1815 Russum inter, ac Borussum effecit 150 milliones fl. Polon. — Vires militares imputatis huc etiam 12,000 Praetorianorum 30,000 peditum, et 20,000 equitum secundum constitutionem 1815 alere deberet (?) Fortalitia numerat: Zamosc — Modlin — atque Czenstochow — Fundus educationis publicae e 2,000,000 fl. consistit. a)

§. 77.

Pauca de Bukovina.

Tractatui praesenti nexum Nationis Hungarae cum Polonica evolvere pro scopo habenti finem imponere cupientes pro coronide aliquid de Bukovina Galliciae, et Lodomeriae ab ortu contermina in medium proferre statuimus. Est autem ditio haec a copia fagorum, (Slavonico labio Buk) quibus abundat a Philologis sic vocitata, Moldaviae contigua, saltuosa quidem, sed tria oppida, et trecentos pagos ambitu suo complexa, e quibus 9 Hungaros, reliquos autem Valachos, Judaeos, atque Turcas incolere

a) Cons. Lassú István Lengyel Ország le-írása.

Cl. Katona a) notavit; regio haec in longitudinem 22; in latitudinem 16 miliaria germanica patet, *) quam ditionibus Hungaricis suo tempore accessisse Cl. Pray b) sic nobiscum communicavit: Polonorum, qui se tot provinciis, ut enarravimus, privari dolenter ferebant, precibus permota M. Theresia aliquam trans Vistulam, et ad Bogum partem nova conventione inita, servato sibi tamen medio fl. Vistula, et libera navigatione restituit. Favit hoc praeconcepto systhemati Russorum Imperatricis; unde haec supra delineatam Bukovinam nuper Turcis ereptam Reginae cessit. Obstabat quidem Porta Ottomanica aliquamdiu; sed ut diuturno bello enervata tandem respirare, stabilique pace frui valeat 1777o 25a Febr. se jure, quod usurpaverat, in eandem ditionem in perpetuum abdicavit, cessitque qua partem olim ad Transylvaniam pertinentem per peculiarem tractatum, cui Moldaviae Principem Ghikam reluctantem Idem Sultanus strangulari fecit, et sic renovato tractatu portio haec terrae avitis S. Coronae ditionibus finaliter reapplicari potuit. c) (Haec a. 1786 sic volente Josepho II. Imperatore Galliciae adnexa

a) Hist. Pragm. T. II. p. 826. — *) Aemilianus Janitsch notat: provinciolam hanc esse ad 178 milliaria quadrata porrectam, in cujus 53 oppidis, ac possessionibus 70,000 incolarum numerantur. Ejusdem calculo (p. 247) occupatae provinciae: Gallicia — Lodomeria — et Bukovina an. 1789 jam 3,262,987 incolas — 261 civitates — 67 oppida — 6,424 pagos — 503,326 domos — 517,382 Christianorum — 36,362 Judaeorum Familias censebant. — b) Per. Austr. p. 425. — c) Koch T. III. p. 95.

sublato militari ad instar aliorum confiniorum Hungaricorum perprius instituto Gubernio, Leopolitano Gubernatori regunda tradita fuit). a) E praemissis autem videre est: Augustae M. Theresiae providentia factum esse, ut tractus iste indubitatis Hungariae partibus accerseretur, cujus incolae effective 12a Octob. 1778 suam fidem Reginae debitam in Urbe Czernovecz ad manus Gabrielis L. B. Splényi Supremi Vigiliarum Praefecti nuncuparunt, in qua, ut hi, ceterique populi glorioso Augustae Domus Austriacae Sceptro parentes ad tardam usque aetatem fidi constanter maneant, dum calamum ponimus, zelo Patriae accensi Patrem coelestem oramus.

a) Janitsch T. VI. p. 250.

4 f 40
4
1 36
1 30
1 30
2 30
5
2 30
3
15
44 | 196 | 2
18
416